
1568
Pistorio







DE VERA
VRANDAE PESTIS RATIONE, LIBER VNVS.

ABES, AMICE LE-
TOR, MEDICATIONEM
propositam paulò aliter, quàm ha
ctenus à communibus pra-
cticis factum sit.

AVTHORE
Ioanne Pistorio Niddano, Philolo-
pho & Medico Doctore.



rancofurti ad Mœnum, Anno 1 5 6 8.

AD AMPLISSIMOS

ET PRVDENTISSIMOS VI-

*ros, nobilitate generis, eruditione & vir-
tutum studio ornatissimos, Consules & Se
natores vrbis Francofurtensis.
Dominos suos obseruan
dissimos,*

PRÆFATIO.



OC libello, amplissimi & prudẽtissimi viri, vos affari visũ est: vt & scripto meo patronos quærerem, quos ego posse iudicare de illo arbitrabar: & coram vobis pro Medicina loquerer paulò diligentiùs, quoniam hanc contentionem videbam me non frustrà cum aduersariis comparaturũ esse. Quia igitur sæpè antiqui & recentiores plerunq; omnes lucubrationibus suis viros ex amplissimo ordine & dominatu anteponunt, in quorum nomine volunt illas vigilias appa-

fere: non credebam quenquam accusaturum in hac nuncupatione, quòd & vetera & nostrorum hominum exempla sequerer. Eò autem magis vobis visum est libellum dare quàm cæteris: quia & omnis liberalis & digna sapientissimis viris à vobis percepta doctrina est, & admirabile de omnibus studijs iudiciũ: tùm verò in ea autoritate estis collocati, quæ reprehensores: scio autem plurimos futuros: cohercere potest: eaq; est omnium de vobis existimatio, vt propter vos amplificaturi sint nostrã gloriam. Habet quædam admirabilia, & cõtra opinionẽ Medicorũ: sed quò exactius hæc cum veritate & αὐτοψία consentiunt, hoc illa cõmunia & vetera sunt peiora. Erat aũt & splendida occasio. Animaduerti enim sæpe eruditos homines cùm in scholis de pestis curatione sententiam dicerent, varias & dissentientes inter se opiniones tra-
ctare

tare, abhorrentes à veritate & ve
rum iudicio, sed verbis & exqui
ta sermonis elegantia consequi
amen, vt auditori imperito quis-
ue suam probabilē faceret. Quod
ò minus fuit illis quàm aut mihi
ut cæteris, quia nos ea apud vul-
us fide & autoritate non vtimur,
uæ pro ratione sæpe est, & in qua
icentis grauitas multū discrepat
veritatis accurata obseruatione.
lli autē & ea sentiunt, quæ in vul-
us maximè probantur, & in ea
unt eruditione, quæ florem ora-
ionis dicendo exprimit, & falsam
pinionem speciosis argumentis
ilatat, & quod omnium pessimū
st, vim & honoris sui gradum ve-
is sententijs ex aduerso ponunt.
Sed nihil esse debebat animis ho-
minum antiquius, quàm sensuum
n dubijs rebus ἀκρίβεια: nihil tam
splendidum, tam elaboratū, quod
non cedat veritati, & tanquam sor
deat præ huius fulgore. Quod cū

ita putarem, feci etiam liberius, quàm fortasse multi existimabunt ætati meæ conuenire: & quod illi oratorijs ornamentis adhibitis, quisque pro sua opinione disserunt, id ipsum ego nuda oratiõe in publica scripta coniectum paulò aliter iudicaui & tentare volui, possent ne veterum in omnibus statuta accipi, & ita vt sine discrimine probentur, an alia esset erudita ex Analyticis, vulgaris alia ex autorum fide rerum cognitio: eoque cæpi libentius in his periculum facere, quòd & ad veritatem propius accederent, & plus conferrent ad vsum humani generis. Quare, prudentissimi viri, non putabitis inani me caussa permoueri, ex ambitionis occupatione, quæ ingenia sæpe impedire solet. Veri reperiẽdi, aut potius quod veteres expresserunt, demonstrandi studium, depræhendent omnes & me ea sentire quæ dico. Vos & decet veritat

uxiliari & homines studiosos, qui
iam sibi parandam & fruendam
esse putant, in honesto loco habea-
s. Quod cùm hactenus illustri
aude liberaliter à vobis effectum
t, non debeo ad defatigationem
ogare, vt vel mea, vel alterius
cripta, qui pro veritate pugna-
nus, humaniter accipiatis. Faci-
tis autem hoc pro magna pruden
ia vestra, & ita, ne veritas detri-
mentum capiat. Hactenus in me-
s & in veritatis studio generatim
ersatus sum. Erit autem deflectē-
da oratio, & ad medendi rationem
accōmodanda: cùm è scientijs dig-
nitate videatur illa excellere. Dabi
tis veniā, viri prudētissimi, si hoc,
quod in more medicorum & con-
suetudine positum est, cōuellam:
si aperiam, quemadmodum in Me
dicis authoritatis sit facienda tem-
peratio, ne ab optima disciplina
veritatis honor peregrinatus esse
videatur. Dicam tamen modicè
 & ad-

& adhibebitur certa dicendi moderatio: sed ineptorum hominum temeritas, qui veterum existimatione ad suam inertiam abutuntur, cohibenda erit. Legem nobis indicunt ne quis hoc sibi sumat, vt vel Hippocratis vel Galeni corrigat errores, & peccata reprehendat, quoniam omnia illis credenda sint, quos iudicant fuisse sapientissimos. Quibus nos tantò acrius resistimus, quòd cùm nullam largiantur ei qui contradicturus est, libertatem, eripiant nobis omnia artium instrumenta, vel potius etiam totam rationem euertant funditus, ipsumque hominem orbent mente & intellectu, vt difficile sit de impudentia eorum perinde vt caussa postulat, dicere. Primùm verò hoc constituere non possumus, num ea in quibus consentiunt, pro veris probent. Si enim roges, in quibus sequendum nobis esse Hippocratem arbitrentur? respondent,

pondent, regulam Medicæ verita
is esse Hippocratis constitutio-
nem. Si de Galeno quæras, idem se
licent iudicium sequi, cùm tamen
ntaresse oporteat inter illorũ sen-
entias, qui à se inuicem dissenti-
unt. Quoniam igitur neuter defe-
endus est, quo pacto contrarijs
nstitutis seruandis, & diuersis de-
retis persequendis stabit Medici
na? Cùm verò in Hippocratem a-
nimum defigant, illiusq; appro-
bent omnia, dabunt etiã hoc quod
ad Democritum scribit, neq; per-
fectam se artis scriptionem institu
isse, neq; ab errore fuisse securum.
Itaq; non possumus, quod sit eo-
rum consilium, aut quid velint, co
gnoscere. Progrediemur tamen
simplici & directa via: & an illi qui
se nunquam ab antiquorum ratio-
ne desciscere aiunt, omnia antiqua
probent, videbimus: Nos autem
iustam ab illis esse defectionem &
qua de causa dissidium interdum

faciendum sit, exponemus, inconstantiaq; totius illorum sententiæ aperienda est. Ab Hippocrate censent omnia rectè fuisse decreta, neque mediocritatem aut modum in laudando adhibent: & quod nos nũc facere ingredimur, vt aliquid asciscamus & comprobemus alienum ab illius opinione, non faciendum esse putant. Si quæras, ecquid sit caussæ. responderint sapienter Hippocratem omnia constituisse, & aptissimè ad rerum scientiam Medicæq; artis constantiam locutum esse. Age, probabilia sint hæc. Quid verò Hippocrati futurum est qui nõ dubitari vult quin decreta sua quædam falsa possint esse: & ad confessionem ignorationis & erroris ex rerum obscuritate adducitur? qui minutas se in herbarum perceptione progressiones habere fatetur? qui dubias facit omnes humanas constitutiones? Non certè errare illum dicet,

quem ſemper aſſerunt ſuas cogita
tiones ad clariſsimas rationes dire
xiſſe. Quamobrem ſi verè omnia
dixit Hippocrates, conſentaneum
eſt, illud quoq; ex circunſpectio-
ne & accurata conſideratione natũ
eſſe, quod ſæpe repetit, erraſſe ſe,
probaſſe ſæpe falſa pro veris, mul-
ta etiam, quorum certa & propria
nota carebat, non potuiſſe aſſeue-
rare: quæ nos ex Hippocratis li-
bro tanquam verba ex verbis ex-
preſsimus. Illi contrà ſentiunt &
nobis perſuadere, non opinione
ſolum, ſed ad veritatem planè vo-
lunt, omnia certis notionibus &
comprehenſionibus apud Hippo
cratem teneri: nihil eſſe quod fal-
ſum aut non colligatione cauſſarũ
animo ab illo perſpectum ſit. Hoc
autem querendum eſt, ſi authori
diſcipuli repugnent, vtri fides ad-
hiberi debeat? Nos Hippocratem
ſequimur tantumq; illi facultatis
ad docendum concedimus, quan
tum

tum postulat, & ars ingeniumq; ue homini vigilanti potuit afferre. Illi in re maxima præceptori suo non assentiuntur. Iudicent qui integrã habent iudicandi potestatẽ neque ex opinione prȩiudicata loquuntur, nósne liberalius cum Hippo. agamus cui quantum postulat, tantum tribuimus, an iustiorem venerationem apud hos habeat, qui ea tribuunt, quȩ de se ipse viuens subtraxerat? Itaque cum Hippocrate nobis conuenit. Agendũ est cum his, qui falsò sub nomine Hippoc. suas opiniones ponunt, cùm animorũ sit permagna dissensio. Prouocant autem ad antiquitatem plerunq;: & temporis traductionem, quæ tum syderum cõmoderatione acutos homines dederit, accusant. Vetustas igitur ijs obest, & valet sine ratiõe. At quȩ vetustas? Hanc enim quam longa mundi replicatio nobis variam efficit, definient. Vtrum igitur Hermetem

Aesculapium volunt viros anti-
quitate & doctrina celebratos: de
quorum libris nihil ad nos fluxit:
hic autem recantationũ libros scri
psit, & multa quæ iudicauerat, cõ-
futauit senex, vt ab errore solui &
in constantem artificis perfectio-
nem vindicari non possit. An Hip
pocratis ætatem postulãt: Verùm
hæc primùm noua fuit, cùm inci-
peret disputare, & eosdem tum il-
le, qui nunc nos insectãtur, obiur-
gatores nouitatis reprehendebat.
Itaq; tot absurda antiquitatem cõ-
sequuntur: Vetustissimos homi-
nes cæteris qui recẽtiores sunt, in
geniorum acumine concessisse: &
statim contrarium, Hippocratem
non esse probandũ, quo sint mul-
ti antiquiores: Galenum plane è
scholis exterminandum esse, qui
certè, si decursus annorum Hip-
pocratis complexus est ἀκμὴν Me-
dicinæ, tot annorum interuallis
consequens, in frigidam artium

hyemem

hyemem incidit. Quid de cæteris
Artes. quæ plurima sunt? Aristotelem
antiquioribus Philosophis obtu-
sius de rebus iudicare, cùm hebes-
cant animorum oculi antiquitate:
& vetustos esse in Philosophia sin
gulares. Denique si tantùm interest,
opiniones à veteribus acceptas po
steris prodere, quis Hipp. viuen-
tem, quis Aristotelem, quis Pla-
tonem legeret? quam celebritatẽ
nominis docẽdo consequerentur?
si omnia antiqua legenda sunt, &
illi non prius gloriam à nobis spe-
ctare possunt, quàm longa inter-
ualla, in quibus multa secula homi
nũ teneantur, cõuersa sint. Cur ve-
rò ijdẽ cùm viuerẽt, & noui essent,
spernũtur, multò autem pòst cor-
poribus elapsi, nouum veluti lu-
men ingenij sui posteris ostendũt,
& leguntur magna cum gloria?
Itaque antiquitas non affert neces
sariam veritatis consecutionem,
neque illi hoc tueri possunt. Qui

celeres ingenij motus habent, & magno labore in intellectu perfun guntur, hi acutius quàm reliqui perspiciunt res obscuras. Verùm in obscuratione caussarum explicanda, & inueniẽdis nouis artib. non ferendum est, tantam hebetudinem nostræ ætati ab aduersarijs assignatam esse. Obseruatio enim & acumen nostrorum hominum contemplandis rebus fecit multas artes nouas, neq; quæ hodie innumerabilia sunt, & habent illustrem gloriam, ab antiquis omnia notata sunt. Quapropter vt multas res vetustas propagauit, quę sunt iunctę cum cognitione caussarum naturaliũ, sic nulla animorũ imbecillitas nostros hõines ita oppressit, quin & veterum vestigia possent persequi, & noua inuenire, si ea summa cura studioq; conquirant. Forsan autem nobis facilius erit, antiquorum in medio positas rationes euertere, quàm illis, exquirere: &

nos minori contentione verum re
periemus: quoniam adiumentorũ
ad perfectionem maior hodie eſt
acceſsio. Artes, quas illi animo cõ
plectebantur, tenemus omnes, &
& quæ nobis ſcriptis, prodiderũt,
experimenta: Noſtra autem plura
ſunt, diligenti notatione poſtero-
rum: & in his qui noſtro tempore
diſputant, acutior eſt rerũ, de qui-
bus diſputatur, tractatio & ſciẽtia.
Ingenĳs & mentis acie adeò per-
uulgatę ſunt noſtrorum laudes, vt
multi veterum gloriam vincant,
quos qui eſſent, diceremus, ſi igno
rarentur. At verò ne de nobis con
querantur, centuplo ſolertior ſit
Hippocrates, tantò autem abiecti-
or qui recens eſt medicus. Cen
tum igitur noſtri Hippocratẽ ex-
æquant, centumq; noſtrorum ho-
minum copulatæ iunctæq; ſcien-
tia vnam efficiunt Hipocraticam.
Ratio autem conſtanter eſt eadem
totius Hippocratis ad integram ar
tem:

tem: quæ eſt centeſimæ partis ad artis centeſimum. Si igitur plurimum tribuant Hippocratis ingenio, copulatio tamen noſtrorum hominum, & quaſi conſentiens ad contemplationes naturæ, ſubtiliori ratione res obſcuras explicat, & vetera multa refellit. Iam verò ſi Hippocraticam diſciplinã ſequuntur, hosq́; Hippocrates ad ſuum cultum erudiuit, quid inquient, ſi quis percontetur, an eum authorem, quo tantoperè mouentur, intelligant? Quod ſi affirmant & intellectio cauſarum ſit verſeturq́; in argumentando, fatentur ſe rationes connexorũ perſpicere, & tenere quæ cum quibus cohęreant: eamq́; ob cauſſam inaniũ quorundam viſorum: ſunt autem plurima: ſe intelligere depulſionem, & corrigere errores autoris poſſe, quod que artem totam comprehenderint, inſiſtere ſe ſimilibus inueniendis augendisq́; veteribus. Sin

opinentur, non posse obscurè tradita percipi, cur nō pudet ineptos homines, id est, Hippocratis Psittacos & sonorum imitatores ab eo petere testimonium eruditionis, illiusq́; sibi nomen fingere & iungere autoritatem, quem quamuis ament, non tñ intelligunt? Quamobrem mihi visa semper fuit periculosa assentiendi consuetudo: tantoq́; in Galeno deterior, quod ab hoc multa inconsultè & temerè dicantur: in Hippocrate autem lubrica, qui rationis momenta non semper quærit. Sed & hoc dubium nobis est, cùm multa Hipp. & Galeni interciderint, sintne in his amissis, ex quibus veterum errorum emēdationes carperentur. vt Hipp. docet Aesculapiū senē suorū dogmatum confutationē scripsisse. Ratio igitur semper studiosis veri hominib. postulanda est: omittēda, quæ obest ijs qui discere volūt, authoritas. Homines autem qui de studijs

noſtris diligenter queſiuerunt, venerari oportet, ſed veritas quę antiquiſsima eſt, & ad agnitionem rerum neceſſaria, ad controuerſiarũ dijudicationẽ adhiberi debet: noſtraq; ingenia ſi Auerrhoem ſequimur, iiſdem, quibus veterum, limitibus: ſi Ariſtoteles placet, latioribus terminanda ſunt. οὐ μόνον δὲ χάριν ἔχειν δίκαιον τούτοις ὧν ἄν τις κοινωνήσαι ταῖς δόξαις ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔτι ἐπιπολαιότερον ἀποφηναμένοις. εἰ γὰρ τιμόθεος μὴ ἐγένετο, πολλὴν ἂν μελοποιίαν οὐκ εἴχομεν. εἰ δὲ μὴ φρύνις, τιμόθεος οὐκ ἂν ἐγένετο. μετὰ φυσ. ἐλαττ. Contra illos igitur qui authoritates magis quàm rationis momẽta quęrunt, hactenus diſputatum ſit. ſed nimis reſtrictè, quoniã ex ſenſu & Philoſophia omnes obiurgatores nouitatis confutantur. Si ſequendos nobis Philoſophos eſſe putant, Auerrhoës cenſuit, vnum ſemper eſſe perfectum per naturã rerum commeantem intellectum, ex quo animi noſtri carperentur:

Aristoteles veterũ inuenta augendi emendandiq́; potestatem fecit. Itaq; posteris facilimum erit & sine negocio, quod veteres defatigati reliquerunt, aut circunscripti falsis rationibus non rectè statuerunt inuenire & corrigere: eritq́; minor in nostris iudicijs infirmitas, qui non cæpimus philosophari, illorumq́; laborib. adiuuamur. Iustam autem venerationem vetustati tribuimus cùm in illius decretis cognoscendis perpetuò solemus ἀναλύειν: Quo labore si in intellectu perfungimur, quoties in horrida & ex malè connexis conclusa deterius incidemus? Præterire hæc sinereq́; vt à discentibus accipiantur, hominis est insipientis & indocti, & nihil eorum intermittentis, quæ ad veritatem eripiendam & quandam quasi noctem offundendam rerum cognitioni facere possunt. Quod si nouitatis appellatio tàm odiosa est: si quod no-

ua commoueamus, irascuntur, primùm quod verum est, nouum esse non potest, quid enim veritate antiquius? Falsa autem omnia, noua sunt. Quæ ergo illi sustinere non possunt, quamuis pertinacissimè defendant, ab antiquis secernenda sunt: neq; nos flectere debet oratio, quam de tot temporũ tàm multis conuersionibus habent, diligẽter, ornatè, copiosè: cùm veritatis, manifestum sit, quanta esset futura antiquitas, si tempora metiremur. Pugnaciter autẽ cùm certant, frustrantur tùm alios, tùm seipsos, & ad contentiones ineptè sine Philosophia se applicant. Pugnent igitur argumentis nobiscum: nolint authoritatibus & calumnijs: & ἐπιστημονικῶς ad Aristotelis constitutionem verum dijudicent, cùm nõ liceat à regula philosophica homini studioso transuersum, vt aiunt, digitum discedere. Non enim satisfactum doctis est, si ea proben-

à philosophica regula non discedendũ.

tur quæ ab antiquis iudicata sunt, aut si stemus veterum tantum vestigijs persequendis, quantumcunque celebritatem nominis & gloriam docendo dilatarint: sed regula sequenda est, Constitutio veri & falsi. Hæc ad vos, æquissimi iudices, vt caussam nostram cognosceretis, breuiter scripsi, tantoq́ parcius, quòd ad chartę dimēsum negocium conficiendū esset. Plura enim sunt quæ aduersarijs repugnant. Itaq; valete, prudentissimi viri, meumq́; libellū aduersus calumnias obtrectatorum defendite, & huncad vos pro Medicina sermonem institutū legite æquo animo.

V. P. E. A.

deditiss.

Ioannes Pistorius Nidd.

DE

DE VERA CVRANDAE PESTIS RATIONE, LIBER VNVS.

DE CVRANDIS morbis, cùm multorum monumenta extent, paucos tamen videmus id quod vellent consecutos esse: ne vel circunductiones quærerent, vel qua parte florere Medicina maximè poterat, ab hac assererent curationem omnem remotam esse. Neq; hoc dubitationem habet, communes practicos in febribus & leuioribus malis verbosius agere, quàm rebus exiguis conueniat: in cæteris aut statim abiecto esse animo, aut certè qualemcunq; prorogationem polliceri. Esse enim multos, qui cum sanitate commutari nunquàm poßint, hoc sacramento contendere videntur, Etsi verò ad nostrum negocium ea disceptatio nihil confert: visum tamen mihi semper fuit morbum & sanitatem in omnibus tanquã contraria exæquari: cumqúe nulla valetudo ita confirmata sit, quin aliquando labefactetur, eodem modo de morbis iudicandum esse. Itaque nullus erit morbus, cui peritus Medicus remedium non inueniat. Et quidem in illis ipsis, quos

quos incurabiles dicunt, quoties natura sine auxilio Medico felicem operam contulit? quoties in semestre spacium eduxit, & moram satis longam interposuit? vt turpiter se dent Medici, qui ministros se esse naturæ aiunt: interim dominæ suæ patientia abutuntur: & quod sola sine peregrina manu conficit, deterius putant fieri, si ministri labores suos communicent: Sed illi quoque morbi, qui naturam post multas conflictationes fortiter repugnantem, desertam à Medicis vincunt, parem accommodationem habent: Succurri enim ab initio naturæ poterat, quæ morbum in mensem, annum, & amplius eludebat, & si in dies singulos millesimam totius mali partem sustulisset Medicus, intra decursum anni vnius rem fecisset omnem splendidißimè. Iam illud quidem perspicuum est, detracta ægritudine, sanitatem statim consequi: neq; placet ad naturã primò & semper pertinere hoc vitium: At contra, facultatem, δύναμιν græci vocant, non vitiari à morbis & detrimentis actionum: eoq; intelligi potest, quid in malis curet Medicus, non facultatem, non læsam actionem, sed morbum qui ab vtroq; dißidet. Sed vt caussas morbi quæ antecesserunt, acri animo inuestigamus, sic si perfectè illas sumus consecuti,

cuti, artem tenemus curandi: Est autem postea situm in nobis, vt & subsidium ex remedijs habeamus exquisitum, & quemadmodum sit vtendum eo, non ignoremus, Quæ si rectè omnia comparata sint, necessariò restituuntur afflicti. Facultas enim nunquam amittitur in viuis hominibus: impeditur tamen morbis ne vim suam in actiones per valetudinem transferat. Itaq; obducitur quodammodò nebula obscura, & radijs illius ἐνέργεια accendi non potest, quod nobis est morbus: Sanitas verò fruitio perfecta illustris luminis: Medicina discußio caliginis, & ablatio impedimentorum, vt id totum, quod curare dicimus, in remouendo sit. Quod illis non fit magnum, qui habent ad summam Medicinam progreßionis aliquantulum. Equidem si pugnantibus, & contrarijs qualitatibus morbus accidit, quid simplicius est et apertius, quàm efficere vt in contrarij locum contrarium succedat? Si compactione & dissolutione meatuum constat affectio, Medicus non esse potest, qui bonum à malo non seiungat, & minutum hoc, industria sua non rectè tractet. Ita in cæteris se habet. Sed substantiarum absolutæ exesiones mors sunt: Has si consistant in simplici & vniformi parte, renouamus: Reliquas non profitemur

mur in nostris curationibus, neque cum morte volumus pugnare aut nouum opus educere. Nec verò ignoro, varias quorundam fuisse sententias: eorum dico, qui humidum natiuum, & seminales partes, non sanguineas solùm aiebant per medici manum denuò redire posse: quas quanquam multi acriter repræhenderunt, nos tamen aliquando dignitati suæ reddemus. Ita sine magno negocio morbi tolluntur, neque plus sibi quis proponet ad morborum de quibus est altercatio, quàm febrium curationem: neque si ad ἕξιν progreßi sint. Nulla enim ἕξις immobilitate nominata aut descripta est, sed ablationis difficultatem omnes definiunt: At moram longiorem desiderant, qui profundè & in multis locis hærent: minorem cæteri qui explicatiores sunt. Lustremus animo non hos minimos morbos, quibus medicina à DIIS in corpore ingenerata est, sed quæro num existiment, inuictos: sic enim volunt: morbos à nobis cognosci? Est autem illorum, vt omnium, facta ex subiecto & caußis explanatio: Et in curatione cuius εἶδος in Medico est, num in ratiocinationum suarum ἐπαγωγαῖς consequantur ἔσχατον illud quod Aristoteles & fieri posse & primùm fieri arbitratur? Hæc omnia

Autres

exactè

exactè tenere, forma est curationis absoluta: Quam si habent, neque tamen suppetias ægroto ferunt, putandum est, morbum posse leniri: Quòd verò qui afficiuntur, nihil melius habeant, id omne positum in ignoratione mediorum τῆς ποιήσεως: non esse quo hoc, quod imaginatione rectè constitutum fuit, cum subiecto morbi copuletur. Quamobrem per se & natura sua morbus omnis Medicinam accipit: Sed ex dissimilibus circumstantijs, dissimiliter efficientibus morbum, varietatem habet, vt quidam à Medico curetur, quidam non possit: suntque illæ differentiæ curabiliũ & incurabiliũ, nõ morborũ sed Medici qui recto artificio mentis dissoluta, modũ ignorat cõtexendi iterum: At κατὰ συμβεβηκὸς morborum, non secùs ac si dicas, α morbum ab hoc medico non fuisse superatum: Itaq; in incurabilibus ponendum esse. Hoc nos in nostris Paradoxis, quæ nondũ in lucẽ dedimus, egimus copiosè. Demõstrabimus aũt multò clarius in vniuersali omniũ morborũ explicatione: Practicas barbari homines hactenus dixerunt. Iã quid sentirẽ, aperire volui, & quomodo tùm multos alios incurabiles nostri homines falsò existiment: tùm potißimùm in pestilenti veneno, de quo nobis solùm sermo futurus est,

paradoxa authoris

quàm dissentientia, quanta discordia & contentione afferant, Theologi, Medici, Iurisperiti, Philosophi, manifestum facere. Sancti homines & ex plebeis & iurisperitis multi quoniam pœnam DEO dependamus, putant nihil resistendum esse: & si repugnemus, frustrà id nos facturos. Medici in ea opinione plurimi versantur, non esse in natura aduersus hãc infectionem idoneas medicationes: multi cùm maximè sapiunt & vastos ea de re libros excudunt, si res periculum habeat, licere sibi putant discedere. Eoq; dant luculentam significationem, quid à se Medicis, quid à suis egregijs libellis sperandum sit. At in caussis, Deus bone, quàm friuolè argumentantur? in curatione quantum expatiantur ab antiqua & vera Medicina? Iurares sæpe ab Empiricis aut vetulis conscriptos esse libros: si vel semilatini illi non essent, vel constaret apud nos Latinas nasci fœminas, aut in hanc linguam erudiri. De his omnibus in hac oratione, eo ordine qui nobis commodissimus videbitur, disseremus. quid sit pestis, quib. initijs & caussis generetur, quomodo serpat, an cauere possimus: tum quæ ratio cauendi & declinandi morbum exitiosum: & deniq; eorum quæ cõnectuntur, cuiusmodi sint remedia.

QVID SIT PESTIS.

ITAq. veniamus ad pestis notionem explanandam. Sed paulum ante dicendũ est, Non mihi videntur considerasse, qui hanc quæstionem tractârunt, omnium rerum authoritatem, qui errant definiendo amittere. Non enim putandum est, habere illum aliquid explorati, qui τὸ τί ἦν εἶναι *nondum comprehendit: neq. magis in illius curationem consentiendum est quàm si nihil scripsisset. Progreßi autẽ pauci quoque sunt ad definitionis inuestigationem, isq. error ita latè manauit, vt scholæ omnes eo completæ & confertæ sint: eoq. difficilius nobis erit, modum tenere definiendi vt sapientibus viris omnibus probetur. Verùm quoniam à multorum opinione discessimus, non possumus quin vicißim alij à nobis dissentiant, repugnare: At fungi munere nostro debemus, an fortaßis dicendo exprimi illud poßit, quod cupimus: aut certè fieri, vt nostro itinere reliqui ad verum perueniant. Non enim conuenit,* μήτε ἀξίως μηδένα δύνασθαι τυχεῖν ἀληθείας, μήτε μεταφῶς ἅπάντας ἀποτυγχάνειν, ἀλλ' ἕκαστον λέγειν τι ἐλάττω περὶ τῆς φύσεως, καὶ καθ' ἕνα μὲν ἢ μικρὸν ἐπιβάλλειν αὐτῇ· ἐκ πάντων δὲ συναθροιζομένων γίνεσθαί τι μέγεθος. *Quamobrem audiendæ*

sunt sententiæ scriptorum: & quid singuli malè concludant, aperiendum & refutandum est: Quæ verò rectè dixerunt, ea quanquàm pauca sunt, & multis erroribus obstructa, retinebimus tamen. Pestem à pestilentia secernunt: Alteram caussam, alteram morbum esse volunt, nulla ratione, sed ficta quadam imaginatione quæ & falsa est, & ab authorum positis dißidet. Definiunt igitur morbum ex venenato vapore in aëre constituto, spiritibus vitalibus aduerso. Hunc solùm aiunt pestem dici: totum morbum, pestilentiam. Reliqui vtrunque de aëre enunciant, & pestem siue pestilentiam: Habent enim pro iisdem: inquiunt esse aëris putrefactionem. Hæc nos omittimus abhorrentia à lingua Latina & vsu loquendi: sed pestem dicimus morbum esse: Neque enim quisquam aërem dixit pestem continere: aut hanc esse cùm nemo affligitur. Qualis verò sit, & quo discrimine à reliquis disiungatur, deinceps videndum est, & primùm in quo loco hæreat. Effectum enim aliâs à nobis est, in humoribus & spiritibus locum nullum à morbo occupari, & grauiter errare, qui tribus subiectis febres distinguant: tū quòd inanimatis rebus sanum & ægrum tribuere videantur, quæ sunt animatis peculiaria

culiaria

culiaria: tùm quòd à Galeno dissentiant, qui inter diuidendũ multitudinem morborum circuncidit partium corporis paucitate: Atq; has esse ait vel similares, vel organicas. Quod si in alijs quam in his morbum versari, quidam arbitrentur, non assentiuntur illi Galeno, neq; approbant veterum scriptiones. Nobis autem non modò certum est, quod Galenus id valdè affirmet: sed argumentis & notis rerum vtimur ad probandum & concludendum illud, quod recens natum esse, quidam putant. Itaq; quò collocabimus? Aut in quam partem referemus? Non enim totius erit affectio, neq; sanguinis vel humorum. Consentientes hîc sunt Medicorum opiniones, ad cor tàm euidentem noxã pertinere, neque aliter subitam adeò mortem parari. Sed quoniam multa ad cor progrediuntur: & natura illud ex particulis varijs fabricata est, venis, arterijs, neruis, alijsq; diuersis: multa subiecta à Medicis inuenta sunt: Nos in ipsa cordis substantia putamus consistere malum, eritq; pestis rectè cordis morbus, si sedes in solidis tantùm partibus morbis constituta est. Verùm neq; sic est satis, neq; si addas, contagiosus, quoniam infectionum non vnum habemus genus, neque ijsdem caussis, modis, accidentibus cir-

pestis cordis morbus.

cunscriptum : neque si ab aëre inspiratione colligi asseras, cum & hoc ὁμώνυμον sit & afferat discentibus hæsitationem, omnis ne ab aëre corruptio mortalibus communicata pestis censeri debeat, an ea solum quæ venenum habet? & an nihil intersit, quale contagium ex aëre hauriamus. Quandoquidem autem in morbis sit pestis, de primo genere multũ fuit & acriter disputatum: quod quidã febrim, quidã aliud turpi fictione commiscuntur. Complet autem hoc totum generis primi vicem: Morbus cordis occultus: neq; verborum explicatio adhiberi breuior potest, sed si constituere verba & res liceret nouis nominibus notare, fortaßis melius tueremur nostras partes. Nunc parere noua non possumus quos ætatum decursus longißimè à flore Latini sermonis remouit. At febris non est: sed hanc comitem habet, ex causa planè diuersa: suntq; febris & pestis separata essentiæ ratione & curatione Medica, neque ita copulantur, vt vnà sit vtriusq; tractatio. Etsi autem febris non semper habet definitionem συμπτώματος: proficisci tamen ex proprijs initijs nobis non est dubium, neque commisceri vna nominatione debent, febris & pestis: quemadmodum compositis morbis genere discrepantibus, nunquam

nunquam vnum nomen imponitur. Si febris cum hydrope incipit, nemo hydropicam febrim dixit: nemo vulnerariam, si confossus febricitet. Est igitur febri ac pesti sua cuiq; essentiæ ratio, & peculiaris origo: huic ex veneno: illi ex calore: atque adeò definitionibus dißident, subiecto tamen coniuncta. Finitimum huic est aliud peccatum: Sunt enim qui totum morbum putrefactione metiuntur, & corruptione aëris: Hancq; iudicant illud totum esse quod nos venenum pestilens appellamus. An putrescat aër, quæri potest non inutiliter, siquidem putrefactio innati caloris est à peregrino extinctio. Aër autem Elementum calorem insitum nō participauit, neq; ideo putrefiet. Sed est alia putrefactio, à natura latißima remotio: quæ cadit in aërem. διὸ καὶ σήπεται πάντα τὰ ἄλλα πλὴν πυρός. καὶ γὰρ γῆ, καὶ ὕδωρ καὶ ἀὴρ σήπεται. πάντα γὰρ ὕλη τῷ πυρί ἐστι ταῦτα. Verùm hæc à naturali aëris constitutione digressio quemcunq; putrefactionis modum habeat, pestem tamen non efficiet: quod in causis tractabimus, & nostra opinione perficiemus. Remouenda enim ea sunt quorum copulatione species ἄτομος multitudine amplificata est, vt vnam mente intueamur οὐσίαν, ab omnibus coniunctis, acci-

An aër putrescat.

Μετεωρ. δ.

dẽtib. connexis separatam. Accidũt igitur febris, putredo & alia: quæ cũ multa sint, ad substantiam pestis nihil faciunt: sed cogitatione secernunt ea omnia Philosophi, vt ὅπερ ὄν *siue* αὐτὸ ὄν *perspiciant. Cuius explicatio, quoniam genere & differentia constat:* οὐδὲν γὰρ ἕτερον ἐστὶν ἐν τῷ ὁρισμῷ πλὴν τό, τε πρῶτον λεγόμενον γένος, καὶ αἱ διαφοραί: *si hæc duo rectè inuenta sint, pestem perfectè cognoscimus. Scimus morbum esse, constitutũ in cordis fabrica: sed quia vt omnes corporis partes, infinitas morborum varietates cor sustinet, vnus accipiendus ex illis erit: Quem nos occultum solemus appellare, & longè ante nos Fernelius: qui quanquam rectè vituperat* τὸ ἐλλειπὲς τῆς διαιρέσεως *in Galeno, quæ tamen benè constituerat, illorum gloriam illustrem inepta accommodatione parum imminuit: quod in publico scripto repræhendimus. Occulti omnes venenum in se continent, & ex causis non peruulgatis nascuntur: non ex qualitatum intemperantia aut excesßione mollis & duri. Diuidit hos Fernelius in tres distinctos alios ex modo quem in appræhendendo, cùm inuadunt, variare solent: Aut enim inspiratione aut contactu aut immisßione veneni homines corripiunt. Vulgares tamen sunt, non* εἰδο

ποιαὶ differentiæ: cùm totum illud, communicari vel hoc vel illo modo, οὐσίαν non constituat aut immutet: pendentquè ex materiæ conformatione earum distinctiones. An verò omnium venenorum εἶδος sit vnum: ipsa autem inter se ἀριθμῷ differant & materiæ apparatione, disputari potest: Videntur enim Medici id sentire cum forma innata agere, & formæ cordis aduersari aiunt: Non verò vni formæ plures opponuntur. Habet difficilimos explicatus ea contentio quid ἰδιότης τῆς οὐσίας, quid tota forma & substantia agere in Medicamentis sit: quam spero nos aliquando honestè tractaturos. In hoc breui scripto satis sit, attigisse generales necessariarum rerum notiones: quòd nec forma id perficiat omnibus medijs absoluta: neque per qualitates nobis notas agat. Ita neque substantias substantijs opponemus, neque hærebimus in sordibus qualitatum. Itaque quod cæperamus, pestis neque febris simpliciter, neque putrida est febris, neque ex putrefactione semina habet: Sed est morbus cordis occultus, ab Aëre venenato per inspirationes effectus. Neque intermitti, OCCVLTI, Additio debet: quanquam quod sequitur, differentia illius est,

Quid revera pestis sit.

καὶ συνεπιφέρει τὸ γένος, eaq; ratione ἀδολεσχεῖν, videmur: ὅτι ἀφαιρεθέντος τούτου, τὸ λοιπὸν δῆλον ποιεῖ τὸ ὁριζόμενον. Verum aliter se res habet vt suprà diximus, tribus vocabulis genus proximum proponi, non paucioribus posse. Facessant hinc febres: putrefactiones aëris, humorum: manifestæ qualitatum copulationes, & accidentium mutationes, quæ omnia οὐσίαν pestis neque efficiunt, neque declarant, sed vel consequuntur, vel sunt τῶν κατὰ συμβεβηκὸς ὑπαρχόντων, aut ex alijs causis ortum habet, & cum peste confusa, variationem habere videntur, veluti quæ Hipp. 1. Epid. narrat, ardores, παραπληγίαι, ἱδρῶτες, πυρετοί. Sed hæc quod ad pestem pertinet, eadem sunt: accidentibus quorum accessio fit ex diuersa origine, differunt. Quare pestem definitione rectè puto esse explicatam: & de causis, labore meo, quem suscepi, perfungar.

τοπ. 5.

QVAE SINT PESTIS CAVSSAE.

De differentijs feb. cap. 5.

GALENVS Medicus insignis duabus causis explicat pestilentiam: putredine aëris, & humorum corporis, si quæ cùm putrescerent, externa occasione febrilem æstum contraxissent. Itaq; sola putrefactio-

factione pestilentis morbi ὅπερ ἀυτὸ καὶ τοδὲ τι describere videtur: & habuit hactenus penè omnium doctorum assensiones. Etsi verò ambigue febrim: Talis en milli visa fuit: pestilentem explanat neque artificiosè satis in definiendo versatur: cum sanguinis putredinem ad pestilentis & συνόχου rationem efficiendam accipit: neque quid hîc, quid illic peculiariter detrimentum capiat, accuratè proponit: tamen hoc iam nobis non est vituperandum, qui omnem febris descriptionem aut mentionem in pestis ὁρισμῷ excludimus. Sed hoc firmè sustinendum est, putrefactioni locum non esse in his causis: & obsistendum eorum opinionibus, qui contrà putant. His copiosè responderi posset: sed quæ perspicua sunt, longa esse non debent. Quid autem apertius, quàm non esse pestilentiæ causam putrefactionem? quæ est innati caloris à peregrino suffocatio. An fortaßis nouas putrefactiones ratio Philosophorum dedit? At non pollicētur, sed in omnibus eandem seruant. Cur autem hæc aßistentibus cōmunicatur & dispergitur in aërem, reliquæ neque inficiunt, neque tàm vehementer sæuiunt. Differentia itaque putredo adepta est, & contagium hæc habet: illa non item quod falsò dicitur, cùm contagium putredini

Contra Galenum

putredo qd

dini accidat: μηδεμία δὲ διαφορὰ τῶν κατὰ συμβεβηκὸς ὑπαρχόντων ἐστίν. *Si autem* καθ' αὑτὸ *putrefactio infectionem complectetur, non repugnarent vtriusque definitiones: Atqui repugnant: & putrefactionis modus caussæque explicantur: contagij occulta agendi ratio est, & minus nota. Aduersatur illis hoc etiam quòd caussam contagij in putrefactis cùm explicant, venenum aiunt putredini coniungi. Si itaque selectio erudita accedat, probabitur non esse* τὸ εἶναι *idem putredini & veneno. Quare neque ad definitionē vnius adhiberi ambo possunt, aut id quod definitione explicandum est, cōpositum erit, quod an definiri poßit, Aristoteles* ζ. μεταφ. *inquirit. Pestem verò simplicem esse morbum placet & venenatum: interdum cum putredine cohæret, sed neque semper, neq; si aliter sit, pestis variatur. Quod enim abesse potest, hoc in substantiæ declaratione non continetur: sed accidens est. Iam illud depræhensum fuit, non semper copulari cū peste putrefactionem, neq; necesse esse vt antecedat aëris talis corruptio. Quoties enim æstate feruentißima & tota sicca furor huius contagij siccißimos homines, commorantes in siccißima aëris habitatione attigit? At audiant, si libet,*

Aristo-

Aristotelis sententiam: σῆψις δ' ἐστὶ φθορὰ τῆς ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος, ὑπ' ἀλλοτρίας θερμότητος. Si igitur sine putrefactione pestis consistere potest, nunquam verum erit illam huius esse caussam: quoniam si negatio non sit negationis caussa, vicißim non efficiet affirmatio positionem affirmationis. Atque hîc metuo ne vix sibi constent, qui cum putrefactione pestem explicent, tamen in multis sine putredine reperiri audiunt. Quid illud? in quo omnes consentiunt? Pestē esse quæ pecudes inuadit: aliam quæ homines corripit: & in pecorum pestilentijs aliâs sues, posteà & boues infici: nunquam verò has omnes simul vrgere? Natura enim ita comparatum est, vt agens patienti applicatū operationem faciat, quæ secundū agentis naturā est & patientis accommodationē. Omnibus autem ex æquo vitiū aêris communicatur & accipiunt illud omnes animantes, quæ respiratione aërem hauriunt. Quidnam igitur caussæ est, cur in vnam speciem solùm pestis sæuiat: reliquis nihil exhibeat negocij? Ad aduersarios nunc refero quid concludendum sit: caussam pestis omnes spiratione accipere: obesse tamen quod attractum est, vni tantùm ex animantibus speciei.

Ergo

Doronici Natura.

Ergo huic ſolùm aduerſa erit peſtis cauſſa: reliquis cũ contraria non ſit, fortaßis benè conueniet: quo pacto Doronicum efficit, vt lætitia homo efferatur: necat tamen canem. Sed nulla putrefactio quam quidem mente concipere poſſumus, huic magis quã cæteris animalibus opponitur: nihilq; à diſſolutione quæ in putrefaciendo conſiſtit, ſolutum aut liberum eſt. Quamobrem aliud ſcrutabimur magis abſconditum & contortum, magis etiam in tenebris abditum, quod cùm omnes participàrunt, vna ſolùm ſpecies damnum excipit: & putredo in peſte tota iacebit. Reliqua omnibus ſtatim percipiuntur. Si putredo peſtis eſſet, aut hanc accerſeret, hoc celerius illi affligerentur, qui putreſcentes humores antè collegerunt, quòd facilius ſimile delatum ad ſimile adhæreſceret, & minori negocio in putrefactis malum progrederetur. Sed videmus liberiores plerunq; eſſe, qui multò priùs putridißimis febribus iactantur, tertiana & cæteris: enecari autem eos qui optimo valetudinis habitu excellere videbantur. Eam ob cauſam vrinæ ſæpe parum dißident, aut nihil differunt à iuſta coloris & ſubſtantiæ ratione: & aër neque nebuloſus eſt, neque fœtet. Sic vel minus vel quod multis videtur, æquè peſtis cum ægris

gris

gris conflictatur, atq; cum sanis: neq; discrimen habet in apprehensione conturbatio, aut putredo humorum vel spirituum: & eorundem recta commoderatio. Qui opificium exercent, carnifices, & lanienam cadauerum, qui exhauriunt stercora, posteaquàm eo labore sæpe perfuncti sunt, fætores sustinent, quos cum peste conferre non posses: & putrida habitatione plus delectantur, quàm clara & salubri, in qua illà valetudine fruuntur, minus culpata. Neque est à Medicis alia caussa huic rei inuenta, quàm propter deprauationem consuetudinis, neq; aduersam esse putredinem, neq; viuere illos aliter posse: pestem tamen non vincunt, neq; consuetudo ad hanc ægritudinem pertinet, sed feruntur ad illos contagia, neq; minus subiecti sunt pestilentiæ, quàm vel Reges, vel illustres homines, qui ad putredinem non assuefiunt. Indicio omnia sunt, nullam familiaritatem pestilentiæ cum putredine intercedere, & pestem contagio serpere: putrefactionem quamuis pestem sæpe contineat, non tamen inficere. Sequenda quoq; est curandi ratio, & artificiosè dissoluenda, vtrum in veneno expellendo, an in alia occupatione Medicus insistat. Quod enim tollitur, hoc, si valetudo sequatur, primùm cōstituit mor-

depravata consue-tudo qd efficiat

contagium pestis causam esse non putredinem humorum.

bum. At solennes medicationes quid aliud sunt, quàm occulti veneni depulsio? Quid Theriaca? quid Mithridatica, confectiones? Quid reliquæ innumeræ? quæ neque siccant, neque calefaciunt, & tamen ægros celerrimè morbo liberant. Si igitur veneno eiecto salutem ægrotis & opem ferimus: valebit illius sola vis in morbo vicißim, & pestem efficiet. Ridiculum verò est, quod suis cogitationibus pertractant, cùm febres vsitatæ plerunq; omnia loca humorum ceperint, in substantia sanguinis putrefactionem pro peste cōminisci. Nam & sensus in sectione venæ, & curandi ratio, quam solemus persequi, repugnant. Percontentur ipsi se, poßintne putrefactioni, quæ sanguinem deuastat, consuetis auxilijs adeò subitò mederi? assumpto etiam illo, quod fieri non potest, sine veneni contagio: an verò cùm exiguus bubo totam pestis molem contineat: pauci sudores sæpe morbum expellant, medicamenta quæ adhibentur, soli veneno aduersa sint, putare debeant, inanem esse ex putrefactione quacunque pestis definiendæ rationem? Quid? quòd bubones sicci, & squalidi non raro conspiciantur, & excrementa vstione siccißima secernantur? Iam quoties putredine absumptis

artus

artus decidunt? Hic profectò & sanguinem & cætera putrefieri necesse est. At nemo hanc quæ extrema est, pestem dixit, neq; febrim quæ tùm torquet, pestilentem: neq; contagium homines peruadit. Quæram ex illis quæ caussa dari poßit? responderint, ab aëre non communicari. Non repugno. Sed & ipsis placet, sine vitiosa aëris constitutione nasci aliquando in nobis pestem: & si hac correptus in puram habitationem transferatur, Aërem ab ægroto vitiari, cùm contrà deceret ab Aëre homines. Deinde in morbis Epidemijs, Endemijs, quoties computruit Aër? quoties confertus, fœtidis humoribus fuit? Neque tamen pestem dedit cùm & fœteret, & homines illum spirando attraxissent. Ergò à putrefactione non proficiscitur morbus pestilens, neque si sanguis dissoluatur, neque si conputrescat aër. Non enim necessariò: At nullo vnquam tempore, nulla ratione: sæpe tamen coniungitur, & pestem suo complexu fouet. Hoc pugnacißimè vrgent. Sed nos constanter defendimus, non semper accidere neque ad οὐσίαν pestis pertinere, quod abesse potest: fieri quidem interdum, sed ex diuersis caußis: & vtrunque circunscribi peculiari ratione. Eandem in

febri obseruationem sequimur, neq; deterreret, si semper febris & putrefactio cum peste coniunctissimè progrederentur. Essentijs enim & curationis modo dissident, & separatim singula cognoscimus. Itaque putrefactio non gignit pestem: neq; putrefactum & pestilens alio modo vnum sunt, quàm κατὰ συμβεβηκὸς, ὅτι ἄμφω μιᾷ οὐσίᾳ συμβέβηκε. Quærendæ autem aliæ causæ, & descriptiones pestis sunt, & demittendæ, quæ à practicis proponuntur, ex putrefactione. Venenum esse ostendimus, & occultatum obscuritate morbum: Accipi autem ab aëre. Venenum igitur in aëre effectum, cordi inimicum, putamus solùm tristissimam cladem mortalibus afferre. Quot verò modis aër infici potest, tot causas habebimus tanti mali. Defectus & labores Solis Lunæq;: tum congressus Saturniæ stellæ cum Marte in signis humanis, corrumpunt aërem: sæpeq; fit, vt in siccissimo aëre venenum dispergant, sæpe vnà putrefaciant pro signorum & configurationum variatione? Nonnunquam cùm illæ planetarum consociationes venenum effecerunt: aliorum syderum actiones quæ putrefaciunt, superioribus copulantur. Ac veluti illic nullam nouitatem ad pestis definitionem afferimus; sed aliter peste, aliter

δ. μεταφ.

Causæ pestis variæ

Aër inficitur multis modis

ste, aliter siccitate aëris vtimur: sic cùm putrefactio aërem infectum ingressa est, selectionem instituemus, quæ res ambas separet: neq; quod in sicco non est à doctis concessum, sinemus vt in humido concedatur. Assumendæ enim accessiones æqualiter sunt, neq; obesse principali caussæ debent. Videntur autem præter syderum actionem inferiores sæpe caussæ pestilens virus in aërem spargere: veluti quod Athenis contigisse aiunt, vt halitu Draconum venenum disseminaretur, quo prætereuntes infecti enecabantur. Cæterùm contactu potius interfecisse arbitrabimur virulentas bestias, quàm aëris contagio: quoniam ad eos qui propè accesserant, noxa ex veneno solùm pertinebat, neq; morbus serpebat latius: spirare autem Dracones vehementer possunt, & longè disiunctos occidere, si modò spiratione inficiunt. Ad contagiosos igitur referendi sunt hi morbi & similes, qui non in fictis fabulis leguntur. Reliqui cùm ex cadaueribus putrefactis incipiunt, aut exhalationibus & obstructionibus aëris, venenum tamen ex astris habent, aut veneno etiam carent, & putrefaciendo enecant, neq; ex se in alios malū deriuāt. Per se enim vel καθ' ἀυτὸ nihil terrenas exhalationes, nihil quæ ex cadaueribus efferuntur,

interdū inferiora corpora virus spargere in aërem non sydera.

tur, vitiosas expirationes, nihil totum aërem dissolutum putrefactionibus, ad pestem conferre arbitramur, neq; ex his quicquam assumptione dignum esse ad explicandam ægritudinis huius οὐσίαν: *neque caussas esse à quibus ordiatur. Venerunt in medium rationes aduersariorum, quæ plerisq; notißimæ sunt: quas à nobis sic putamus refutatas, vt ab ijs qui veras disciplinas probant, reddenda sit assensio. Nostram verò quæstionem sic explicauimus, vt non tàm quid nobis videretur, quàm quid ab alijs Philosophis & Medicis dictũ esset, prosequeremur: non ex elementis & horum coniunctione, non ex qualitatibus aut putrefactione, quæ in qualitatibus sita est, non ex vulgari caussa pestilentiam oriri: quandoquidem ad hæc pestis obstricta non sit, sed calidis, frigidis, siccis, humidis, putridis, sanis, claris constitionibus aëris, hominum, terrarum æquè aduersetur: occultam tamen, & ex cœlo originem trahere. Sed miscetur interdũ putrefactio: cumque peste inuadit, & suos morbos vnà effundit. Sola tamen neq; pestis est, neq; quicquam habet pestilens: Habet enim suam definitionem peculiarem: & si ab aëre cõmunicatur, Epidemios aut Endemios facit, nunquã pestilentes morbos. Itaq; de caußis*

Morbi Epidemij et Endemij

huius

huius mali physicis hactenus dictum sit. Sunt autem qui repugnent, neque caussas pestilentis veneni in natura esse concedãt, sed velint, mentem perfectam, quam Deũ appellamus, hæc efficere, nulla continuatione ordinis naturalis. Spoliant illi naturã suo decore: & frangere se arbitrãtur authoritatem Medicorum: qui caussas naturales ad pestem adhibent. Sunt alij, qui corrigere ea quæ superiores valdè craßè disserunt, & correctionem explicare conantur: naturam tamen ea æstimatione dignandam censent, vt gignere pestem ex caussis ingeneratis poßit: Sed Deum aiunt interdum multa improuisa facere, neque vti naturæ auxilio. Itaq; mediam sententiam tuentur: & de naturalibus caußis sic sentiunt, vt in initijs morbi huius sæpe illas adhibeant: sæpe sine illis à Deo effici arbitrentur. Quibus omnibus assentiendum non est, ne si in grauißimis pœnis naturam tantùm semoueant: quanquàm libentur amplectimur scripturæ authoritatem, quæ à DEO omnia constitui & informari docet. Discesßit enim DEVS à creatione, & naturam dedit, qua res omnes laberentur & consisterent: vim aũt agendi ipse accommodauit. Deus igitur in

natura causa effectrix est prima omnium: sed interiecta tanquàm media, natura est, huiusque rursus positæ sunt auxiliatrices partes, quibus ageretur: estq́; totum illud quod hodie Deum facere dicimus, posteriorum caussarum effectio, si in ἀναλύσει, quod proximè occurrit, accipiamus. Si enim secundæ caussæ aut facultatem nouam agendi adipiscerentur, aut in operationibus diuinis non essent interpositæ, fingeremus nouam creationem: à qua iamdudum mundi opifex Deus quiescit, verùm longius in quarta nostri libelli distinctione & explicatius id dicetur.

QVOMODO SERPAT PESTIS.

AER ab astris, Ab aëre nos contagium haurimus. Quà autem vias amplißimas natura construxit, hâc confertim venenum ingredi, consentiendum est: quã uis angustos etiã meatus: πόρȣς vocant: & arteriarũ fines, osculaq́; venarum penetret. Ineptè igitur Medici affirmant, quibus natura πόρȣς dilatauit, excipiendæ pesti aptiores haberi, & inquinari facilius quàm si propius coirent, & essent constrictiores: Quasi verò os, nares, & latißimi ductus

non veneni tantum transmitterent, quod morbum gignere posset, & ægretudine captos interficere. Si verò suas sententias de febri & putrefactione nobis sequendas esse putant, aliter dicent. Quid enim agent, si, cùm febri & putrefactione pestem definijssent, roget eos quispiam, num celerius quibus occlusi pori sunt, humores putrefiant? si affirment, cur illic aliter videatur? si negauerint, fatendum sit, Medicos omnes errasse, seqúe ipsos sibi non constare, qui tueantur ἀντιφάσεις. *Has ego minutas subtilitates irridere soleo, & mihi illustrius aliquid proponere. Alius est error qui falsam* ὑπόθεσιν *sequitur, de temperaturis qualitatum in corporibus: quæ facilius afficiantur: quæ vehementius obsistant. Primùm describunt corporum affectiones, sexum & ætatem: Tum horum commistione seligũt vetulam Melancholicam, quæ tribus illis partibus, naturæ, sexus & annorum, veluti munimento circunsepta sit aduersus infectiones pestiferas: Puerum verò marem sanguineũ tribus ijsdem, quas diximus, tanquam inuitamentis ad pestem vti: tantoq́ plus cum pueris, quàm cum adultioribus conflictari morbum aiunt. Deterior illis est pueri, quàm vetulæ conditio: deterior etiam sanguinei quàm Melan-*

cholici: viri quàm fæminæ: robusti quàm debilis: impuri quàm purgati. Nos verò in superiore, quæ de caussis erat, tractatione exæquauimus ea omnia: & experientiã diximus aduersis opinionibus repugnare. Ipsi igitur se conficiunt & sententias proprias euertunt: cùm quæ illis videntur, experientiæ adiuncta, falsa sint: & si sensus adhibeas, non appareat quod profitentur se patefacturos. Maximè autem con uincuntur cùm ratio illorum & testatio sensuum, quæ pro congruentibus sumunt, tàm vehementer repugnãt: ita fieri & esse talem caussam Quòd si hoc falsum est: Est autem experientia falsum probatum: illud verùm non erit ex quo sequitur: Et cùm sensus aliud testãtur quàm rationibus cõcluditur, fatentur ipsi suarum putrefactionum, febrium & accidentium vnam esse depulsionem, sensuum veritatem. Sed progrediamur longius. Feminis non ita aduersa est pestis atq; masculis. Quæ caussa? Pororum apertiones in viris: occlusiones in mulieribus. Sed non est ita. Hippocrates enim rariores ait esse fæminas compactiores, viros, à cuius sentẽtia illi discesserunt: Tum probauimus, quò quisque latioribus poris sit, hoc magis esse à putrefactione incolumem. At cur imbecilles & senes: Id enim postulant: relinquit pestis? adoritur robustos in-

Lib. 1. de fœmin. morbis.

stos iuuenes? Quoniam, aiunt, oportunitas concipiendi quæ in his maior est, ad contagium plus confert, quàm roboris imbecillitas in senioribus. Falsum hoc est Sit α commoditas viarũ per quas venenũ illabitur: Sit β facultas & florens corporis virtus: γ obstructio viarum in senibus: δ imbecillitas senilis constitutionis. Dico β plus differre à δ quàm τὸ α à γ quandoquidem in initijs huius tractationis ostensum fuit, nõ esse magnam inter α & γ intercapedinem quæ notari possit: Maxima autem inter β & δ interiecta est differentia: longiusq́; recessit totum robustũ à toto imbecilli, quàm quod totũ apertũ est, ab eo quod partim ita est, partim aëri aditum intercludit: Hocq́; tantò magis quò latius interuallum apertioni quã constrictioni designauit natura. Quamobrẽ ex decima primi Vitellionis β ad α maiorem habet rationem, quàm δ ad γ: Minorem aũt ex eiusdem sexta, α ad β quã γ ad δ. Et ex vndecima totũ βα ad α ampliori proportione adiungetur, quàm δγ ad γ Minus ergò ex sexta, viarum laxitas conferet in adolescente quàm obstructio in sene ad concipiendam labem. Quid ergo? Melior est occasio putrefactioni in robustis sanguineq́ue & succo plenis, quàm in aridis hominibus confectisq́; senio. Non sum nescius, mirificè hanc opinionem Galenũ

amplexatum

amplexatum esse: neque sanguinem neque ver calidum & humidum haberi posse, & periculosam esse ambarum qualitatum connexionem. Displicebat enim illi, esse sanguinem in ea constitutione positum, quæ semper putrefactionibus subijceretur. Decepit virum summo ingenio, & exquisita doctrina illustrem ὁμωνυμία quæ vocabulis nominata erat: neq; distinguebat κρᾶσιν naturalem, ab ea, quæ contra naturam est: Accidit enim constitutioni humidæ & calidæ, vt quædam sit φθαρτικὴ: sed eadem vitæ nostræ optima est conseruatrix, si actiuæ qualitates superent, & terminis proprijs reliquas circunscribant. Galenus igitur frustrà metuens, quid sanguini prouenturum esset, si humiditate & calore, constaret: sustulit è medio veterum Medicorum sinceras explicationes, victus inepta ratiocinatione. Nos sanguinis temperamentum volumus esse cum præpotente caliditate humidum, & in promptu habemus, quæ pro perspicuitate nostræ opinionis Galeno responderi possunt: neq; Hippocrates impedit, qui frigidum quodam loco sanguinẽ appellat. Sed ver maxima sui parte cũ sanguine congruit: Habet autẽ, vt & autumnus, temperantiam quandam perfectam. Non enim cohærent sine medijs extrema:

trema: & à frigore ad calorem per medium, quod temperamentum dicunt, necessaria sit profectio: sicq; vicißim in Autumno, si caloris cum frigore commutatio est facienda, consistet prius conuersio tẽporis in medio tẽperato. Ergo neq; ver neq; sanguinẽ opinabimur ex illis esse, quæ facilè putrefiunt: sed vterq; à putrefactione semouendus est tota substantia & natura, id est, tanta distantia, quanta res omnes à suis corruptionibus disiũctæ sunt. Neq; iuuenes sanguinei celerius aut grauius peste corripientur quàm senes: Aut hi fortaßis magis. Scatent enim impura colluuie: & cùm solida membra senium desiccauerit, intus tamen in ventriculis putridorum humorum magnæ effusiones sunt. At ij, qui semina putredinis conceperunt, si prius inficiantur, nihil incredibile videtur: sed multò tardius sanguineos adolescentes pestis affliget, qui putrescere possunt: nondum tamen, vt senes, ad putredinem peruenerunt. Et quid hoc quod illi affirmant, tantum studium, tamq́ue multam operam naturam ponere in conseruando sanguine? citiusq́ue finere, vt reliqua pereant, quàm vt sanguis detrimentum capiat? Videtur aũt hoc nobis sensu & experientia probatum: quoniã difficillimè sanguis

guis febrim suscipit, reliqui humores mo-
tus habent solutos & vagos: hominésque
perpetuò febres Phlegmaticæ, Melancho-
licæ biliosæ consectantur. Quæ cùm ex pu-
trefactione sint, & in singulis aliquis hu-
mor putrefiat: certum nobis est, maius in
putredine leuamentum sanguineos habere
quàm cæteros. In peste nulla est in consti-
tutionibus à natura elementorum tribu-
tis, Medicina vel vtilitas. Si enim pestis
communitas est putredinis: mentiuntur
qui putant in sanguineis maiores esse pu-
trefactionum inchoationes quàm in cæte-
ris: Sin veneno explicari debeat, vide-
bimus, neque impediri aliqua humorum
ratione, neq; illorum adiumentis viam au-
geri. Ergo vtrunque falsum est, impediri
pestem senectute vel humoribus, & alte-
rum, in putrefaciendo consistere morbum.
Si itaq; nihil interest, quo quis sit ætatis de
cursu, qua corporis, sexus, elementorum,
conformatione, frustrà ea omnia & nullo
fructu à Practicis proponũtur. Si aër vnà
recessit à naturali commoderatione, aut vi
tiosos vapores continet: non nego crudeli-
us torqueri à febri & putrefactione, qui
vel natura vel deprauatione aliqua crudi
tates & putredines collegerũt: At pestem
augeri vel incitari his corporum vitijs, ma
ximè nego. Dicã quæ mihi in prõptu sunt,
de procli-

de procliuitate corporũ, quæ facilimè pestẽ admittunt. Nam suas positiones à me practici nunquàm impetrabunt: quanquã hic error adeò latè manauit, vt nõ videam, quò non accesserit. Calida, frigida, aperta, clausa, senes, pueri, viri, fœminæ: nihil horũ exceptionem habet, aut dißimilitudinem in vitijs pestilentibus. Si verò rationem veneni quæ in profundo demersa est, assequeremur: facilè nobis esset nominare, qui in peste grauißimè ægrotarent, qui magis leuarentur. Eadem ratio est in Antidotis, quorũ vim, qua valent, si verbis aptis, & rem declarantibus explicare possemus: potuit autem hactenus nemo: intelligeretur, qui firmius resisterent pesti, qui imbecillius. Etenim medicamenta morbo opponuntur: naturæ autem similima sunt. Talis igitur natura esse debet qualem auxilia quæ contra pestem comparantur, faciunt. Ab hac qui longius discesserunt, non sustinebunt se à contagio: Reliqui quantò minus remoti sunt, hoc facilius malum discutient. Alijâs robur quod in depellendo est, & vires corporis vsitatæ notißimæque nihil opitulantur: Progreditur.n. vi quadam pestis, neq; tenetur obstaculis aut corporis legib. Sed si cor ea, quã diximus, facultate orbatũ sit, aut non

satis

satis valeat, corripitur primùm qui sic habet: posteà & moritur, nisi Medicus auxiliũ subministret: Sin facultas per se robusta sit, aut medicamentis adiuuetur, contenta est seipsa natura ad tollendum morbum, & vim habet quàm maximam, quæ pesti obsistit, ne suos homines conficiat. Tùm viribus vtitur corporis, harumq; adiumento, quæ omninò sua innata actione nihil conferebant, correctio fit & emendatio mali. Vires nomino, quas veteres Scholæ quatuor esse aiunt, Attractricem, Retinentem, Digestiuam, & eam, quæ expellit: Nos cũ nouis hominibus sentimus, qui quinq; numerant, & separantem ad reliquas adiungunt. Videtur autem nobis ex nostris rationibus proprijs necessarium. Non enim Hepar concoctos humores expellit sine antecedente dissimilium partium secretione. Natura igitur & origine antegressa est expulsionem separatio. Qui verò reliquorum attractionem segregationis officio volunt perfungi, errãt illi grauissimè: cùm à Medicis sit concessum, labefactata splenis attractione, purũ tamen Melancholicum succum, selectione naturæ à reliquis disiunctum, inueniri, quod fieri non posset, si attractione splenis perficeretur separatio. His qui contra nos lo-

Viris Natos .v.

quuntur,

quuntur, discretionis humorum caussa iecur esse non potest: si per accidens illi à trahentibus membris separantur. Sit α attractio. β separatio. γ expulsio. Abesse β non potest: quoniam vbique omnes humores confusi essent. Adest igitur aut καθ' ἀυτὸ tanquàm propria vis, aut per accidens est ex reliquis, τὸ β. Hoc autem impossibile est. Eodem enim modo γ huius esset alterius β. Atqui res aliter habet. In hepate miscentur humores: In liene separati sunt. Ergo facta est inter splenem & iecur diuisio. Non autem ab α: quia affectionem τοῦ α sequeretur intermissio τοῦ β: neque iecur dissolueret chylum: quæ omnia absurda sunt dissentiētia à vero & vsu curandi. Sic venæ attrahunt sanguinem: Attrahendo secundum aduersarios separant, quoniam quod sibi familiare est, accipiunt. Sumunt autem sæpe impurum: cúmque attractioni nihil desit, vitium quærendum in separatione: Aut si etiam impura trahunt, falsum est, attrahendo, quæ commista erant, separari. Hæc obiter docere voluimus: Reliqua argumenta in re illustri & perspicua dimittimus, præsertim, quòd Galenus quodam in loco nobis assentiatur. Sed reuertamur ad hoc, vnde digressi sumus. Qui omni admistione imbecillitatis

liberati ſunt, hi neq; corripi peſte neque interire poſſunt. Quibus imbecilla ea natura reddita eſt & penitus debilitata, emoriuntur omnes. Reliqui medio modo ſe habent. Imbecillitatem autem non ex habitu corporis aut communium virtutum robore ſed occultæ facultatis fortitudine æſtimo. Nihil enim robuſtus infirmo præſtat. Itaq; quod ſuprà primùm meminimus non repugnãt venena formæ cordis. Nam ſubſtantiæ nihil agunt, neq; his quicquam aduerſatur: & ſi formæ vitientur, vita ſuis finibus terminata eſt: cùm formarum labefactationes mortẽ afferant. Equidem in viuo corpore aut integro nullum detrimentum ad formam pertinet ſed huius vna noxa eſt, ſeparatio à materia. Si quid aliud formis aduerſum videtur, fit hoc ex corporis & materiæ vinculis quibus obſtrictæ ſunt: Hæc cùm relaxantur, putamus formam affici. Magnoque ad hanc rem argumento eſt, quod aiunt, tota forma Medicinas in venena agere: ſed à ſuis poſitionibus diſcedunt & loquuntur mutuò pugnantia. Neſcio enim quo modo formam medicamenti veneno contrariam, & hoc viciſſim formæ cordis diſſimile eſſe velint, cùm manifeſtum ſit, ὅτι οὐκ ἐνδέχεται ἑνὶ πλείω ἐναντία εἶναι.

Debilitas virium in peste vide.

Nam

Non sunt autem idem cordis & medicamenti forma. Itaque si Medicinæ per se contra venenum positæ sunt, cor non exercebit per se cũ veneno inimicitias. Nam si τὸ α per se sit caussa τοῦ β, τὸ μὴ α erit per se caussa τοῦ μὴ β. Si enim non, sit τὸ μὴ α per se caussa τοῦ β. Atqui fieri non potest, erat enim τὸ α, τοῦ β per se caussa: Nullius itaque rei per se τὸ μὴ α caussa est, quoniam inter τὸ β καὶ μὴ β non est medium: Sed quo remoto, nihil tollitur, Hoc posito, nihil ponetur. Remoto α nihil aliud remotũ est, Ergo nihil sequetur, positionẽ τοῦ α Atqui sequebatur τὸ β ἐξ ὑποθέσεως. Ergo α est β & non est β, quod nemo concedit. Si igitur ἀλεξιφάρμακα per se formis dißident à veneno: cordis species per se non repugnabit. Verùm hoc refutauimus, diximusquè quo modo cor, hoc ipso medicamenta à venenis natura sua discessisse. Quamobrem formis nihil contrarium statuendum est, neque ex forma Medicinas in formam operationes suas transferre: Sed proprietatem quandam esse in omnibus creatis, quæ cùm caussam nullam in natura notatam habeat, neque progreßionis modum, ad formam aßignatur, tanquã cæterarũ rerum,

quæ in nobis sunt, maximè diuinam. Hactenus qui deterius in peste habeant, qui melius: & qui facilè corripiantur, qui contrà: explicatum à nobis fuit. Nunc quis modus sit apprehensionis, dicendum est. Aërem qui in se caussam continet, per arteriam Tracheam pulmones potißimùm arripiunt, & cordi cōmunicant: sed & ab omnibus spiraculis vbicunq; hæc sita sint, ad cor primùm contendit venenum, neque spiritibus, & quos venæ complectuntur, humoribus aliter nocet, quàm si vel putredinem, vel prauas qualitates admistas habeat, quarum ex congreßione morbus poßit existere. Est autem agitatio cordis in aëre pestilenti perpetua, bellumque semper natura cū veneno sustinet: quoniam spirandum nobis est, & aër accipiendus, in quo iacent dispersa contagiorum semina. Qui igitur vel medicamentis vel sua facultate simili non compensant eam quæ ex aëre est læsionem: aut cùm id diu fecerint, demùm tamen ab aduerso veneno vincuntur, his cor totum languescit. Neque id incredibile videri debet, amissa quæ sola cor tuebatur: Proprietas enim & formæ & augustißima cordis est: aut debilitata virtute, dissolui penè cordis structuram: neque impedire qualitates

Modus apprehensionis ueneni pestis

tantam

tantam perniciem, tàm atrocem posse. Ergo magna turba & colluuio malorum sequitur: corruptio spirituum, sanguinis, quorum hic perfectionem, spiritus hoc totum quod sunt, à corde accipiunt: Duciturque malum ex malo: Ex vitio spirituum syncope, virium oppreßio, pulsuum debilitas, & febris quandoque, difficilis respiratio, raucedo. Ex labe sanguinis, omnium humorum deformatio: nulla tamen putredo neque necessariò febris. Ex communitate partium, vomitus, vigiliæ, iactationes corporis. Itaque quæ cum peste est febris, varietatem perplexam habet. Fac enim venenum pestilens ab aduentitia & externa caussa tàm calidum, fac tàm putridum quàm fieri potest: Febris cum peste incipiet, Ephemera, Hectica, Putrida: neque hæ ex illa pendebunt. Fac illud rursus sine æstu & mucore, febrim in spiritibus, posteà & humoribus tanquàm σύμπτωμα sine putredine efficiet. Sed & bubonia est febris illiusq; incrementum sequitur, quæ reliquis mitior est: & si in securum locum tumor decubuit, vim naturæ declarat. Perspicuum est vbique, pestem non esse febri explicandam: cùm neque externa, neque

Syncope unde.

febres pesti [illegible] est ad[illegible]

Bubonia

natura posteriora ad definitionem adhibenda sint. Quandoquidem verò multam nouitatem Symptomatum habemus, & pestis plerunque diuersis morbis morborumque causis circunfusa est, difficilimè primùm pestem cognoscimus: cùm propter varias aëris nostrorumq; constitutiones mirificè indicia qualiacunque vacillent, sæpeq; fit hoc, sæpe aliud. At illa quæ enumerauimus, pestis propria signa, quoties vel accessione augentur vel minuuntur ab aëre, à nobis, à morbis cæteris? Febris latens sæpe & languida: aliâs ardentissima & manifesta: Nausea, fauces siccæ, vrinæ turbidæ, excrementa fœtida, sudor fœtens, capitis dolor, os graueolens, vellicatio narium, deiectio appetitus, oscitationes, Bubo. Ea omnia neq; ad pestem solùm pertinent, neq; semper assunt, sed ab accidentibus diuersis variantur, & progrediũtur ex putredine. Deliria, color faciei mirabilis, Syncope, Liuidus vrinæ circulus, subitæ peruasiones, & quæ suprà diximus, alia omnia frequentiora sunt, & coagmentata cùm cernimus, nō possumus dubitare, quin venenum in corpore sæuiat. Ex mortuis morbum disces, si celeriter extinguantur, sine veneni & abscessus interni signis: cum carbunculis vel bubonibus: si auri-

um

pestis signa propria

um caro pendula nigra sit: similiter si nasus ex latißima laterum parte nigrescat. Reliquis, quæ προγνώσικα futuræ pestilentiæ appellant, Meteorologicis, ex terra nascentibus, aëris turbationibus, tantum tribuimus, quantum putrefactioni quæ comes sequuturæ pestis esse debet, tribui potest. Cæterum quæ spem vitæ largiantur, in his magna est obscuritas, propter cateruas accidentium, neque oportet nimis confidere, quia mouemur sæpe aliquo indicio, quod cùm natura sua salubre sit, peste affectis interitum & mortem affert. Labamus autem ob hanc caussam potißimùm: quòd se vno modo res habeat in mansuris & morientibus. Conandum tamen aliquid est: & an id, quod volumus, consequi poßimus, nitendum. Bubonis subita eruptio confertim facta & ad locum periculo vacantem: omnium accidentium melior toleratio: discußio per sudores: Medicamentorum vsus & ex his quæ cõueniunt: plena expurgatio veneni: Hæc pestem spectant. Sed vsuuenire solet, vt his omnibus confectis, æger tamen multò pòst moriatur. Ergo aut relictæ veneni sunt quædam scintillæ, aut putredine enecantur. Verùm obscurius hoc est, quòd cùm semel liberati sumus, & venenum

è corpore excesſit, posteà nullum damnum ex aëre suſcipimus: in quo, vt ante, putrido, infecto habitamus. Videtur autem aër etiam postea contaminare, & vitijs suis inquinatos interficere. In nobis caussa inuestiganda est: Reliqua enim conueniunt, Aëris infectio, locus ægroti, inſpiratio aëris & veneni. An igitur amplificata est facultas ex primo congreſsu, & viam ſibi parauit, qua ſemper, quantum attraxit, eijceret? An natura ex conſuetudine, quod ſemel potuit, perpetuò venenum conſumit? & iacet amiſſa quæ prius erat, inter vtrunque lis? Cur verò ſi ab aëre tantas calamitates haurimus, magis inficiantur qui ægrotis aſsiſtunt, quàm qui horum conuerſationem fugiunt, explicatio non eſt adeò difficilis. Equidem in concluſo loco, & non ſpirabili, maior eſt iunctio earum rerum, quæ in Aëre diſtractæ ſunt, venenumq́ue in ægrotis concretum, & copulatum eſt, & informationem perfectiorem à corpore accepit: Tum per ſpirationem, quæ inter homines plurimùm poteſt, actionem habet liberiorem. Maior enim ſemper eſt homini cum homine quàm cum Aëre contagio. Effugiuntur illa omnia Aëre, aut exiguis medicamen-

tis de-

tis depelluntur. Hæc igitur de modo concipiendi venenum nobis ita definita sint.

AN PESTIS CVRARI POSSIT.

INSAnitatem & ægritudinem, quæ ex peste est, positam in nullis causis naturalibus Theologi quidam censent. Alij aliter sentiunt: eos dico qui quod de causis diximus, accipiunt: illud autem quod, priore concesso, consequens est, negant: vt si causas in natura habeat pestis, euitari poßit. Illos quidem insipientes Theologos suprà reprehendimus, qui quoniam pœna sit, causis carere arbitrãtur. Hos igitur dimittemus, at ita vt aliorũ refutatio horum ineptias detegat. Cum illis agendum est, qui causas concedunt, non volunt medicationem. Pœnam esse aiunt. Nihil ad id de quo nunc agimus. Sed faciunt incurabilem. Nunquid est causæ? Quia pœna. O plumbeos argumentatores, Morbis omnibus Deo mulctam pendimus, quia à pulchritudine mentis & cœlestis conuersationis discessimus: Cæterarum tamen ægritudinum manifestum est, quo modo quædam à Medicis curentur. Si pœna infert

curationis negationem, viciſsim curatio, quæ fieri poteſt, pœnam excludit: quia ſi idem conſequitur oppoſitum, oppoſitum oppoſiti concludet oppoſitum eiusdem: Libet enim euiusdam Philoſophi verbis vti. Ergò febres capitis, ventriculi dolores, morbi omnes domeſtici, quibus leuatio magna fit à Medicis, cùm ſanantur, non communicabunt cum pœna, ſed fortaſsis ſolatia ſunt, & ornamenta huius vitæ: Aut ſi hîc quoque pœnarum eſt ratio, nunquàm febrim curabimus. Vtrunque tamen craſſum & in experientia notatum vitium eſt: neque illa duo quæ propoſuimus, ſunt conſequentia. Sed alteram rationem afferunt, ne pilum quidem Chriſtianis cadere ſine voluntate Patris cœleſtis: Quamobrem, ſi peſte affligantur, putare ſe hoc ex aſſenſione Dei fieri, cui repugnare neque poſsit, neque debeat quiſquam. Repugnari autem vſu medicamentorum: Primùm ſi rationem connexi inſpicias, alium verborũ aceruum effecerunt: Res penitus eadem & accommodatio. Voluntas eſt Dei. Ergò non poteſt curari. Quaſi verò quicquam eueniret, aut nos accidere bonis cogitaremus à quo ille ſuam aſſenſionem cohibuiſſet. Nihil igitur mu-

tari

tari potest, aut curari? Ridiculum verò hoc & ineptum, quòd putant, qui se medicamentis sanos integrosque seruauissent, seseque à morbis seuocauissent, hos DEO obsistere. Commorandum diutius in puerilibus nugis non est, sed cauendum, dum illorum ægrotationem, quæ insania est, sanemus, ne DEO aduersemur, qui vult eorum animos in hoc morbo esse. Nos cum spiritu sancto loquimur, qui iubet vt reuerenter Medicinam vulgus habeat: Reges verò non id solùm sed & Medicum artificem sinant ex arte quæstum capere, & in amplissima dignitate omnium ornamentorum collocent. Caussam affert, quia Medici diuinæ maiestatis miraculorum sint enarratores & per hos potentia DEI euidenter innotescat: Neque enim aliter à Theologis differunt, quàm cùm per hos in auribus vis diuina personet, Medicos eandem in visu testatam facere. Si itaque Medicina tributa mortalibus est, vt admiraremur incredibilem DEI, omnium rerum, quæ nobis necessariæ sunt, quasi potentiã quandã procurantem: & illustrem illius gloriã ex vsu salubriũ Medicinarũ amplificaremus, qui Christiani sumus, & ex scriptura opificem cognouimus

nihil

nihil erit adeò eximium, si vertiginosi febricitantes sanentur: sed si pesti, si lepræ, & alijs grauioribus remedia sint, hæc admirationem & gloriam superiorum vincent, magnaq; vis diuinæ potentiæ in oculis hominum lucebit. Sin verò nullam medicinam his constituit Deus, aut noluit, aut non potuit. Non potuit? Sed pudendum esset, si hoc diceremus. Non voluit? Iubeo vt ostendant non voluisse, cùm tot homines quotidie auxilio Medico fruantur, neque scriptura vetet. Afferent antiquum, vt si copia nobis Medicinarum nulla fiat, tantò plus Deo supplicandum esset. Sed mentiuntur, quoniam ad remedia nemo pius est, quin à Deo vt tempestiua sint & salubria, postulet. Est igitur inuentum pesti in natura præsidium: hocq; ipsum experientia cognoscimus. Licebitne vti hoc inuento? dono Dei? & ita vt illos fines consequamur, quos Deus proposuit? Non licere inquiunt & scelus esse. Ergo placet Deo, vt flagitia designemus: neq; nos peccamus, si herbas eo vsu pollentes, à Deo hac causa fabricatas, morbis admouemus: Aut frustra nascentibus plantis vires ingeneratæ sunt. Desipiunt planè qui cum assentiantur causis naturalibus, has tamen negant remedijs posse depelli: Neq;

alind

aliud habent, quo se suamq; ignorantiam excusent, quam pœnam esse, Deum nolle: quorum nos impudentiam satis fregimus argumentis. In re enim clara & illustri pluribus non est opus. Quid verò apertius si naturalibus causis constet, quàm si aliæ opponantur, futuram illius quæ imbecilli or est, depulsionem. Nihil igitur commoueri oportet, quæ ab aduersarijs crasse concluduntur, sed esse armati debemus, & captionibus occurrere.

QVAE SIT RATIO CAVENDI ET DEclinandi pestem.

PRINcipiò exponemus ne confusè in re maxima versemur, quo ordine & modo progressuri simus deinceps. Agemus autem distinctè, de peste primùm, posteà de accidentibus, quibus interdum pestis circunfusa est: Reliquorum enim quæ rarius eueniunt, tractationem alius liber expediet. Sequemur practicorum hac in re exempla, & vtrunq; quo modo seruanda corpora à veneno sint, & vt in labefactatis oporteat ægrotationem auferre, docebimus.

DE

DE PRÆSERVATIONE quæ in pestilenti aêre adhiberi poßit.

CREDO ego, plerosq; Medicos in peste opinatores egregios esse, neque qualis sit morbus perspicere, neque quomodo repellendus sit. Et cur credam, afferre possum. Quæ enim de hoc morbo à multis dicuntur, ea neq; acutè neq; verè disseruntur, neq; qui eum curant, constantes in medendo sunt. Ipsi etiam Medicorum principes cùm ad extremum progreßi sunt, dicunt fugiendum esse, vt fugere illis penè satis sit, nihil attineat mederi. Quare simplex præseruandi ratio est, citò & longè discedere reuertiquè tardè. Videamus autem quàm sint hæc illis quæ ante posuerunt, consequentia. Cùm primùm acerrima contentione postulassent, ne quis opem Medicam despiceret, posteà & secretißima arcania, quib. nihil securius esse volũt, latißimè exposuissent, ea demùm parata salus est, si fuga remedium quærere iubeant. Diffidendum medicamentis est, si fugiendo nos facturos arbitramur quod expediat: vel si firmam & stabilem morbi comtemptionem ex Medicamentis consequimur, frustrà fugimus & discessum remedijs anteponimus. An curari pestis

non potest? Negant. An fugiendum? Aiunt. An remedia desunt? Neq; hoc. Cur igitur nouæ habitationes quærendæ? Vt sis securior. Ergò fuga illud est, quod pestem curat. Sed nihil ad hoc quod quærimus: Aut omnia auxilia, quæ contrà comparantur, incerta sunt, dubiumq́; exitũ habent. Quamobrem illi quidem dimittendi sunt: Nos autem dilucidè proponemus, neque in fuga optimum cõsistere subsidium, neq; si maneas, deesse quibus te à peste sustineas, medicamenta. Primùm, quæ sit indicatio, quis scopus curandæ pestis, explicandum est vberius, ne cum cæteris erremus. Ea est Morbi ablatio, qui cùm in veneno suam circunscriptionẽ habeat veneni depulsio totam medicationem perficiet. At quibus medijs? Nulla diæta, nullo frigore, nulla siccitate, nulla sectione venæ aut humorũ detractione: quæ omnia per se morbo non repugnant, neq; sanitatẽ, si adhibeas, afferunt: sed ἀλεξητηρίοις. *Si quid cæterorũ ad salutẽ confert, per accidens euenire cogitabimus. Idem de præseruatione sentiendum, nulla re alia hominibus minus contagium esse cum aëre, quàm vsurpatione eorum quæ veneno resistunt. Præseruant enim ea ipsa quæ curant: quod nobis non sit magnũ, discentibus probare.*

Curationis scopus

preseruatio

Equi-

Equidem si venenum singulis momentorum conuersionibus ab aêre accipimus, neque relaxationem aut remißionem spiratio nobis concedit: semper auxilia opponemus, quæ quod debilitatum est, subitò resarciant. Possunt autẽ hoc sola ἀλεξιφάρμακα, quæ proprietatem confirmant, quæ cor defendit, adiuuantq́ expulsionem veneni: quod totum in seruando & restituendo vnicum est Medici opus. Reliquorum nihil est, quod tantum efficiat, Quamobrem Mitridates, cuius nomine, illustri laude, Medicina notata est, cùm mortiferum poculũ bibisset, vt sibi mortem conscisceret, emori non potuit, quoniã frequens vsus medicamenti naturam adeò validam reddiderat, vt multò pòst, abire è vita cùm vellet, nõ posset hausto lethali veneno. Quibus. n. ea facultas firma & robusta satis est, hi ad præseruationem & curationem nullo adiumento indigent: si verò labefactetur cõtinuatione ingredientis veneni, aut natura sua sit debilis, opitulari tantùm solent occulta medicamenta. Posteà an cætera quicquam efficiant, videndum est, & primùm in aëre.

Alexipharmaca

DE AERE.

HIC venenum habet, & in morbis vitium facit. Fugere autem ex nostro institu-

instituto non debemus. Quare vel emendandus est, vel conandum vt auxilia vim malignam obtundant. Efficere enim vt virus omne discutiatur fumis medicamentorum aut aliis, impoßibile est, quoniam obseruauimus cùm solertes homines salubribus fumis & odoribus aërem repleuissent: decubuisse tamen ex morbo. Caussa fuit non difficilis, quia venenum immixtum aër habuit, & in languida natura medicamentum suas inimicitias cum caussa morbi persequi non satis potuit. Non enim connexa aut iuxta se posita, Medicamentũ & venenum, mutuò repugnant, seseq; conficiunt: Esset enim hoc consequens, curari omnes qui debitis auxiliis vterentur: sed si remedii vis in proprietatem illam non penitùs dissolutam incidat, tùm quasi efflorescens, diffusa in corpus veneno aduersatur. An verò corrigi igne potest? Nihil nos exemplum Hippocratis deterret, quod illum aiunt flammis lucidis & ignibus latè sparsis cohibuisse pestem, ne agros Atheniensium attingeret. Fecit enim in aëre puro, nondum infecto: & fortuito si quis factum putaret, quod testatione nostræ experientiæ caret, non posset adeò grauiter errare: cùm multa & mirabilia absurda secum ea historia trahat. Alia igitur via

processus in cura praeservatione

progrediemur, aëriq; semper aspergemus medicatos vapores aut medicinas habebimus, quæ venenum expellant, nobisq; nostram virtutem corroborent, ita enim impetrabimus, vt quantum detrahat infectio aëris, tantum & amplius compensent medicinæ. Verùm exemplis declarare sententiam: & rationem docere perspicuam oportet, quam in similibus imitari discentes possint, ne perpetuò ad libros practicorum alligati adhærescant. Itaque sumenda sunt, non ea quæ siccant, frigefaciunt, nihil simile, sed quæ natura sua cum occulta proprietate cordis copulantur, totaq; specie à veneno videntur dissidere, qualia nos in curatione præscribemus: Eaque variare licet infinitis formis, vt inungere, mandere, deuorare, apponere, viuis carbonibus vrere possint, suo arbitratu, Si quibus in pestilenti Aëre commorandum est. Tota enim Medici occupatio, non est in Aëre nouo constituendo aut temperando sed ne plus contagij inspirando arripiamus, quàm natura superare possit: & vt potiores sint facultatis nostræ quàm veneni partes. Credo quòd hoc Medicinæ mirificè præstent quæ intrò sumuntur, neque fumis odoribus & reliquis semper indigeamus, cum alia via

qualia remedia eligenda

licet

licet auxilium parare. Ne tamen quicquàm studiosi desiderent, adiungemus pauca quæ illustria sunt, seruandæ valetudini idonea medicamenta, suis figuris & parandi modis distincta. Quamobrem Trochiscos mansiles, vt ab his exordiamur, conficere iubemus, qui recipiunt.

confectio in Rotulis p̄seruatiua

Sperum electuarij de Hyacintho, drachmam dimidiam.

Radicum Angelicæ,
Dictamni,
Zaduariæ,
Sem. Citri.
Terræ armeniæ, singulorum scrupulos duos.
Cinnamomi scrupulum vnum.
Croci, scrupulum dimidium.
Moschi,
Ambræ, añ pro cuiusq; diuitijs.

Trita excipiantur, Mastiche additaq; pauca Terebintina & Theriaca formentur pastilli masticatorij, secundum artem. Idem possunt pilulæ quæ sequuntur:

pilulæ.

Recipe Zaduariæ,
Terræ sigillatæ, vtriusq; drach. vnam.
Caryophyllorum,
Rad. Angelicæ, vtriusq; drach. dimidi.
Trium Santal. añ scrupulum vnum.
Moschi, grana duo.

Cum infusione Tragacanthæ efformentur pilulæ mansiles. Has semper ore exceptas, vt & Trochiscos, mandere oportet, vt aër ex admistione ἀλεξιφαρμάκων remißius agat: & firmius medicamentis illigetur, quæ in nostro corpore est, facultas. Theriaca licebit sola illinere dentes, eritque res exigua exeuntibus pro maximo emolumento. Pauperes & qui inopia premuntur, Alij succo labia & dentes inungent: mandent autem radices Angelicæ, Valerianæ, Imperatoriæ, Zaduariæ, & quæ similes sunt. Ex illis quæ apponuntur præstantißimum est ex speciebus Arsenici medicamentum ad adiuuandam veneni eiectionem.

Recipit:

Arsenici cristallini, partes duas.
Rubei, partem vnam.

Fitq; placenta rotunda craßitudine digiti, cum albo oui vel mucilagine Tragacanthæ.

Putant Itali quidam Medici in seruandis sanis nihil illustrius à DEO mortalibus concessum, vocantque diuinum, inuentum Dei: quoniam iurati asserunt, neminem decubuisse qui id gestaret: Eoque nos ad credendum maximè ducunt, quòd probatum experientia sit, & in sensus egre

gia illius vtilitas permanet. Ego illud quicquid sit caussæ, tantum esse puto quantum illis videtur, sed si cum Pharmacis coniungatur: tantoq; moueor vehementius quòd Tiguri anno sexagesimoquarto quotquot eam secum ferrent: Fuerunt autem plurimi: nullum sciam qui morbo caperetur, aut damnum acciperet: cùm tamen vt illic fit more & persuasione animorum, multus esset hominum cum ægrotis congressus, & pestis in reliquos crudeliter sæuiret. Basileæ à Medicis eadem probata salubris fuit, & multos feliciter seruauit. Qui Tiguri hanc Medicinam faciebat, acceperat scriptionem, non didicerat caussam, quam ne cæteri illum ignorare scirent, fictam dedit, voluitqúe falsa specie gloriam suam augere. Consuetudinem longam dicebat efficere perpeßionem veneni faciliorem: tantùm assuefactionem valere, vt qui paulatim ad Arsenicum assuefierent, sine noxa in Pestilenti Aëre versentur. At nos de ratione videamus. Si id consuetudo potest, cur hi quos constat inter peste afflictos, menses duos, vel tres ad venenum satis assuefieri, quarto demum mense, aut quinto corripiuntur? cur non ante Arsenicum quàm membra

consuetudine firmentur, interficit? cur non potius ad Aërem homines assuefacimus? Sed & Arsenicum à veneni natura discessit. Dioscorides ait, erosione interficere: curari emollientibus quæ acrimoniam obtundant, & aluum leniendo soluant. Quod si verum est, vt nemo aliter docuit, non est putandum, virus aliquod in Arsenico latere. Ita nihil aliud est, venenum esse, quàm occulta ratione interficere. Quæ enim in animis nostris consignatos habent occisionũ modos, frigore, calore, erosione, putredine, & alios qui plurimi sunt: hæc omnia nemo ad societatem venenorum pertinere ostendet, licet concurrant plebeij omnes Medici: Sic enim qui Philosophiam contemnunt, appellandi videntur. Quid enim? vtrum venenum in his putamus esse quæ intrò demersa, quocunq; modo homines ad mortem trudunt? Absurdum id quidem. Qui enim cibus aut quod medicamentũ dari potest, quæ si suis limitibus non terminentur, vitam nobis non extinguant? Nobis verò quæ mole & multitudine interficiunt, neque δηλητήρια appellare libet. Quòd enim confertim sumpta, mortifera sint, hoc ex circunscriptione quantitatis quarto eorum quæ καθ' ἀυτὰ Aristoteli dicuntur, modo euenit, non

natura

natura sua: cùm interim neutrum de neutro in definitionibus enunciemus totaq́ue oratio ex accessione tertij cuiusdam limitantis nata sit. Veluti autem non conuenit triangulis, vt æquales omnes sint: sed tum, quando in eadem basi collocatæ iisdem Parallelis finiuntur: ita lethalia hæc non possunt simpliciter dici, nisi limitationem annectas: Falsumq́ue est FVCHSII, de ignis scintillulis Argumentum. Ita in omnibus res suis ὅροις deuincienda sunt, eritq́ue venenum quod occulta ratione: Reliqua δηλητήρια quæ manifesta naturam hominis morte dissoluunt. Arsenicum verò mortiferum quidem, non tamen venenum, si DIOSCORIDEM sequimur: & sola erosione necat. Ita vidimus Tiguri cum venenum Aëris extinctum esset syderum conuersionibus, nihil tamen debilitari, qui & pòst Arsenico vterentur, saccoq́ue inclusum circunferrent, sanis corporibus, viribus integris, sine infectione Aëris. Ergò alia erit & difficilior quam scrutari oportet. De Arsenico rubeo: quam perspicuum est, veterum Sandaracham esse: non habet dubitationem apud doctos, licere illius suffitu, catapotijs, eclegmatis,

Contra Fuchsium

Sandaracha quid sit.

Arsenicum Rubeum.

inunctionibus securè ad corporum mala vti: valereque in eo eximiam discutiendi vim sine metu periculi. Verum eo nobis non est satisfactum, qui ad discussionem requirimus magnum abditæ facultatis robur. Nam si dissipatione remedium ægros leuat: hac autem sola nunquam restitui possunt, qui cùm debiles sunt, laborant: falsò illi de perpetua in omnibus conseruatione loquuntur: Aut si hoc efficiunt, errant qui in discutiendo medicationem quærunt. An hoc nobis assumendum est, neq; constans esse in tuenda sanitate, neque oportunum semper remedium, si solum sit? sed tum vtiliter admoueri, posteaquàm Alexipharmacis vis abdita, corroborata est? plurimumque conferre ad depulsionẽ veneni, quam natura prius inceperit? Itaq; quod Basileæ factum est, videntur remedia occulta magno cum fructu huic placentæ misceri: aut si hoc non placet, indies quædam separatim deglutiant: placentam verò serico obductam cordi admoueant: quanquàm securius est, indusium lineum interponere, ne carnem tangat. Eadem ratio est efformandi oblongos sacculos ex simili massa qui arterijs manuum alligantur: veluti nostræ fœminæ languidis ex Aromatum varietate conficiunt:

Necessario

Necessario itaq; adderentur ἀλεξιφάρμακα *si quod agit Arsenicum, hoc totum in discutiendo consisteret. Si verò magnificentius quid habet, venenoq; omni detracto, successionem efficit valetudinis sine externis adiumentis: non desiderabit admistionem aliorum aut variationem, cùm solùm veneni amotione afferre poßit consecutionem sanitatis. Quamobrem si hoc constitutum sit.* ἀλεξιφάρμακον *erit Arsenicum: quod cùm quibusdam placeat illustribus & gloriosis Medicis, nobis penè idem videtur. Nam ex eo solo aiunt sine coagmentatione similium Medicamentorum nos omnes veneni liberationem & vacuitatem consequi. Hoc si rectè docent neque sensus repugnant, conclusum statim est, vim occultam medicandi venena Arsenicum habere. Nos igitur aut hominibus doctis assentiemur soloqúe in placentam congesto ex tragacantha vti possumus & amplius quod desideremus, nihil erit: aut si hoc illi apud nos non obtinent: Arduum enim videtur, & periculosum: miscebimus gentianam, succumqúe cyrenaici liquoris, qui laser est, vel Asa dulcis officinis Medicis. His enim misceri & temperari Arsenicum securè potest: quàmuis, multorum, vt diximus, iudicio istam con-*

sunctionem aspernetur, & se ipso contentum sit, in veneni curatione. Cur verò si erodendo nocet, pannis veluti munimentis circunseptum, non erodat, non habes caussam difficilem. Ita si pilulis misceatur, si alijs viscosis desinet erosio. Fumus autem ex Arsenico tanto salubrior est, quò magis aëreæ partes, & tenues in suffitu dissipantur: Manent autem in vase terreæ & crassæ quæ exedunt. Simile est in natura præseruans remedium, ex succo Laseris, pinguedine serpentum venenosorum & Mysi: quæ omnia in vnguentum vel massam latam serico vestiendam artificiosè redacta cordi & arterijs imponuntur. Ex reliquis quæ admota iuuant, Hyacinthus gemma laudem illustrem consecuta est, collo gestata, inclusa annulo perforato vt inferiore parte cutim tangat. Sed hic velim syderum fluxus non contemni. Posteà Smaragdus est, & carbunculus: Ex pilis odoratis ea quæ sequitur:

Recipe

Radicum Angelicæ,
Zaduariæ, vtriusque drachmam vnam & dimidiam.
Terræ sigillatæ,
Boli Armenæ, vtriusque scrupulos quatuor.

Cordi-

Corallei rubei,
Xylaloës,
Corticum citri,
Seminum citri,
Ladani,
Laseris odorati, singulorum drachmam vnam.

Croci, scrupulos duos.
Moschi,
Ambræ, vtriusq; grana tria.

Vniuntur cum aquis stillatitijs Angelicæ & Veronicæ: paucaq́ue quinta essentia vini & Terebinthina lota aqua rosarum.

Ignibus non tantum tribuo, & medicatis fumis, quantum reliquis à me tributum est. Itaque superiores quoq; trochiscos licebit vtere, excipereq́ue fumum: aut sequentem congeriem, quæ recipit:

Rosmarini,
Rutæ,
Bethonicæ, singulorum dimidium manipulum.
Radicum Angelicæ,
Corticum citri, vtriusq; drachmam vnam cum semisse.
Baccarum Iuniperi, añ drachmam vnam.

Xylaloës,

Xylaloës Drachmæ dimidium:
Trochisc. gal. Mosch.
Ladani vtriusque vnciæ dimidiam.
Laseris odorati drachmas tres.
Mastiches.
Colophoniæ añ q. 5. ad vestiẽdos pulueres.

Hæc duo eliquata excipiunt species omnes in puluerem redactas: frigefacta denuò coeunt in solidam massam, quæ fracta igni vritur. Pauperibus Iuniperi ligno & baccis vti licet, similibusque odoratis quæ veneno aduersantur. Hæc exempla discentibus sufficient. Dabimus autem in Medicamentorum tractatione simplices Medicinas omnes, ex quibus parare possunt diuersos compositionum modos, formis & simplicibus variatos.

pro pauperibus

DE CIBO ET POTV.

IN huius selectione practici omnes putant multum studium ponendum esse, iubentq́ vt ægri studeãt conuenienti diætæ. Hoc nos peregrinum esse ad huius morbi leuationem arbitramur, neque pertinere ad indicationes necessarias. Nihil attenuans cibus obest pesti: nihil vicissim frigidus confert aut siccus, & si multum in vtroque processeris confirmando & siccando, ægri tamen nihil iuuantur. Hoc ipsi

dare nobis videntur. Si enim roges cur tenuem non velint? languescere dicent vires, quæ reficiendæ sint: cur autem siccos anteponant reliquis? Putredinem siccitate cohiberi. Atqui pestis non est vel putredo vel lapsus roboris, neque tollitur, curatione his adhibita: neque his benè habentibus, cohercetur. Itaque cibo secundum aduersarios συμπτώματα leniri possunt: morbus non potest. Quis enim scopus præfixus est pestis curationi? Eiectio veneni. Hanc cibi non promouent siue copiose, siue parum nutriant, siue calidi sint, seu frigidi: Si verò veneno resistant, digreßi sunt à sua natura, neque vt nutrimenta iuuant, sed medicamentosi sunt, de quibus deinceps noster sermo futurus est. Vtrum igitur tandem, cibisne pestis tollitur, an ex his nulla est ad sanitatem progreßio? Atqui hoc perspicuum est, in morbis alijs ex nutrimento exiguam fieri ægris leuationem. Illud verò non dubium, cibos neque stabilire neque euertere pestem. Itaque cùm exiguas in cæteris ad valetudinem acceßiones cibus afferat, in hac ægritudine deferenda est penitus de cibis tractatio. Atque hoc operæprecium est considerare, in peste occulta medicamenta tantùm malitiam morbi tollere: in cæteris minutum esse,

quod

quod cibi sanant, neque interesse multum, quo æger victu vtatur: quoniam exigua est huius læsio, si cõtrarium quod in delectu ciborum consistit, exiguas habet ad sanitatem accessiones. In præseruatione autem quæ cùm pestem metuimus, adhibetur, nihil differt, itane an aliter cœnes, & prandeas. Vtitur Fallopius argumento, cur in peste cibi mediocriter nutrientes afflictis conueniant: Quorum, inquit, hominum in morbis imbecillitas crescit, eorum quoque robur & vires debent augeri. In peste autem summa est debilitas. Nutriendi igitur ægroti sunt. Hæret autem eadem, qua superiores sunt vsi, ratione, Non enim quæ ex peste est, roboris labefactatio nutrientibus pellitur: sed his alitur: Propulsamus autem eam, sublatis cordis, spirituum, sanguinis detrimentis, quod ex medicamentis consequimur. Reficiendi sunt, inquit, quod efficimus nutriendo. Hoc tamen falsò putat. Teneamus enim illud necesse est, cùm cor vitijs suis spiritus & sanguinem semel inquinauerit, quò plus eorum ingeramus, in quibus nullum est huic malo auxilium, tantò maiorem futuram corporis imbecillitatem. Quid igitur? Pesti nulla est cum cibo vel necessitudo vel dissimilitudo: aut si quæ-

piam

quæpiam esse debet, per accidens augebitur pestis nutrimento. Ita de cæteris omnibus sentiendum est, motu, quiete, somno, vigilia, excrementis, & alijs, quæ in sex non naturalibus recensent Medici, nullam esse in seruandis corporibus ex his rectè administratis medicationem.

DE VENAE SECTIONE ET MEDICINIS PVRgantibus, quid in curando & præseruando auxilientur.

VIDENTVR MVLTI QVI in populari cœtu laudem ex Medicina consecuti sunt, tàm vehementer ad veritatis studia obdurasse, vt malint veterum quorundam institutis viuere, quàm multorum vtilitate requirere quid veteres rectè dixerint, aut in quibus veritas ab illorum placitis dissentiat. Itaque dici non potest: estque hæc nobis querela communis cum multorum aliorum Philosophorum sententijs: quantæ perturbationes in Remp. literariam ex importuna authorum existimatione & fide inuectæ sint. Innumerabilia dici possunt, ad hanc

ad hanc rem. Sed non necesse est De mißio ne sanguinis pauca afferemus: primùm autem nihil de hoc, de quo minus dubitari potest, an in peste secãdæ sint venæ: sed de selectione, quã egregij homines in tundendis venis turpe esse putant Medico negligere. Eorum enim omnium qui ante nostram ætatem scripserunt, vna est sententia: At verò illa falsa & inepta, Cùm delectum in morbis maximum habent, quam in brachijs venam aperiant, & in quo latere hanc sumant: Spleneticis aiunt oportunas fieri in sinistro sectiones: Hepaticis in dextro: eis qui media corporis parte ægrotationem patiuntur, in vtroq; brachio communem rectè discindi venam: variari autem ex diuersorum laterum doloribus: Caput deniq; ex Cephalica commodißimè euacuari. Reliquæ fallacis loquentiæ: vt Acius ait: malitiæ ex his nascuntur. Piget autem omnes dinumerare: quas illi ad curationem accommodatißimas putant. Vidit hoc primùm Vesalius, & caussam cur errarent cognouit in imperitia dissectionum hærere. Quamobrem arbitramur nos operæprecium facturos, si videamus tueri ne Medici suas opiniones poßint, quod profecto non possunt, an spretis veterum decretis in nouis hominum constitutionibus

Aetius

Vesalius

ent

tutò liceat acquiescere: non quò optabilior nobis sit nouitas, sed quòd erroribus leuari discentes cupiamus. Cùm enim quæ falsa sunt, ea vera esse confirmantur: tollitur rerum veritas & perspicuitas: ipsæ etiam disciplinæ, quarum volunt esse peritissimi, deserendæ sunt. Habet sectio diuersitatem, inquiunt, in vtroq; brachio. Si perconteris, ecquid sit caussæ, respondent quæ in sinistris natura collocauit, situ propiora esse sinistris, dextris dextra: Emittendum autem vt ægros sanes, ex proximis venis sanguinem. Verùm audiamus, quid concludant: quanquam solutio ita est in promptu vt verbis non egeat. Credo ex eo Medicis venire vsu, vt horrida hæc comminiscantur: quòd Anatomicas dissectiones nunquam inspexerint, aut de malis Magistris deterius illi artem didicerint. Quibus ego assentirer, si ductũ qui ex liene rectà ad brachium sinistrum explicaretur, ostendere possent. In itinere verò conuoluto & contorto, quod ambages habet, quis concederet, sinistra sinistris proximè cohærere? Nihil enim facit ad id quod requirimus, loca locis copulata esse, sed ex venarum continuatione vicinitas æstimanda est. Quamobrem videndum est an venæ quæ ex liene sunt, propius cum sinistro brachio quàm

cum dextro congrediantur: & vicissim an
venæ iecoris viciniores sint dextro quàm
sinistro. Qui autem aliter propinquitatem
considerant, cogitare debent, quòd multa
non coniungãtur venis, quæ ordinis in lu-
stratione oculorum, communitate cohæ-
rent: & quod non sit idem, membrum à
membro distare, & venas à venis. Equi-
dem splenem in sinistro fabricauit natura,
& à sinistro brachio, si approbationem ex-
terni visus sequamur, parum disiungitur,
si vt noster intuitus, ita internæ venæ per
loca proxima ascenderent: Sed si in disse-
ctis hominibus diligentius versemur, per-
cipiemus eam vicinitatis ad venas accom-
modationem nimis apertè perspicueq; &
peruersam & falsam esse: quod nobis de-
monstrandũ erit. Sint igitur α venæ Lie-
nis, β sinistri brachij venæ γ dextri. Dico
α à β tantum abesse quantum à γ. Princi-
piò non est nimium diu disputandum, ne-
cessariam esse τῶν α profectionem ad ela-
tiorem pectoris oßis sedem, in qua caua in
duos truncos discinditur. Si enim hîc assen
sionem recusant, omnem & Anatomico-
rum scriptionem & visus nostri testatio-
nem sustulerunt: quod non modo rectè fa-
cere, sed omnino facere non possunt, qui
tanto-

tantoperè de cognitione Anatomica gloriantur. Deinde distantia ex eo loco, vbi partes duas caua fecit, ad cubitum dextrum exæquat eam quæ ex ijsdem initijs ad sinistrum progreditur. Hocque nemo eruditus negat: aut si neget, facit perabsurdè. Ergò locus partitionis esto δ. Cubitus dexter ε, sinister ζ. Linea δε æqualis est lineæ δζ. Æqualibus idem additum relinquit æqualia. Idem in vtroque ductu est αδ. Ergo αδε æquat αδζ. Est autem hoc totum αδε, nihil aliud quàm αγ: Et alterum vniuersum αδζ idem est cum αβ. Eadem igitur remotio α à γ, quæ erat τοῦ α à β distantia: quod oportebat contra aduersarios efficere. <u>Quam ob caussam iacet</u> illa nimia laterum vicinitas: & aperta facta est eadem ab vtroque brachio venarum Lienis seiunctio. Idem de Hepate sentiendum: cuius venis necessariò ad δ perueniendum est. Ea de reliquis similibus cogitatio capienda. <u>Constituto autem illo</u> cadit aduersariorum tàm acutè conclusa ratiocinatio: quæ Rustico magis decora erat, quàm lanio: Huic autem cùm ignominiosa sit,

turpißima est Medico: qui si pars ad visum parti cohæreat, non debet arbitrari, tales naturam ductus efformasse, quales ille oculis in cute ascendendo designat. Minor igitur falsa est in ratiocinatione. Sed quid hoc, quod ipsi maiorem quàm statuerunt, euertant? In spleneticis enim Saluatellam scindunt, cùm multò propius possent: neq; hoc reuellendi humoris caussa faciunt. Adeò incerta communibus practicis est Medicina, vt leuibus argumentis, ad quæ cogitatio stolido cerebro nata duxit, statim insistant: neq; quid καθόλȣ sit, considerent, sed idē tum contrario confundāt, faciantq; idem diuersum & diuersum idem. Verùm ab his ineptis Philosophis discedamus: reuertamur autem ad nostrum institutum. Tractant illi accuratè in scholis venas interiores, externas, cephalicas & ab Arabibus dictatas, Basilicas, Nigras, Funes brachij & cæteras, quarū magna est caterua. De his consilium in morbis capiunt, quæ aperienda sit, non secùs, quàm si natura ex singulis visceribus peculiares ductus ad affectum locum quotidie poneret. Axillarem ex vtroq; latere nihil differre docuimus: Quæ verò de communi vena afferunt, ea tàm exilia sunt, vt pudendum sit, graues viros in hunc concursum venarum, cordis affectus,

vena brachij

ctus referre: quasi Hepatis & capitis venarum conflixus: ita enim illis videtur: cordis commoderationem efficiat, quo nihil ineptius fingi, aut animo comprehendi potest. De Cephalica dubitationem ante Vesalium habuit, quoniam Galenus ex imperitia originem illi ab externa iugulari quæsiuerat: Nunc exortus alijs limitibus terminatus est, nobisq́; nostri sensus, quibus Galenus nos orbauerat, redditi sunt. Itaq; appellata Cephalica non magis caput sanat quàm iecoraria aut alia quæpiam: quod doctis non est difficile credere: discentibus autem ne semel concepta assensio, ex authorum grauitate iterum elabatur, demonstrare oportet. Nam ad partitionem cauæ venæ ab externa iugulari communis est progreßio, posteà reliquæ venæ se exequant. Totum igitur toti æquum haberi debet: neq; longius à medio capitis Hepatica quàm Cephalica receßit. Sed hanc exceptionem facilè à me impetrabunt, plurimum differre, vtrum brachium in capitis laboribus disseces: Nunquam verò quod illi postulant, venas excipiam. Neq; eadem est morborum capitis tractatio in lateribus aperiendis, quæ vel iecoris vel splenis affectuum erat: quæ omnia viri Anatomici libenter accipiunt. Quibus rebus intelli-

gitur, inanes esse venarum impositis nouis nominibus distinctiones, quæ non pertinent ad hominum vtilitatem, quæ sola parere nomina, constituto discrimine, debebat. Atq; illi quorum studia in tot venarum appellationibus conquirendis versata sunt, Anatomica doctrina non rectè instructi, ad hanc disputationem accesserunt, cùm contrà decuisset ad perspiciendam cognoscendamq; corporis naturam rectis prius studijs contendere, quàm nouas opiniones fabricarent. Tractatio enim dissectionum, tùm res alias pulcherrimas docet: tùm hoc malum rationis quod illos in errorem induxit, nobis dissoluit, non esse cur à vicinitate vel ductuum profectione nouas venas constituamus. Ita in pedibus quatuor nobis appellant, Saphenam, Schiaticam, Renalem, & Popleticam, tantumq́ue ducuntur authoritate qua capti non prouident, quàm fallaci ratione circunscribantur. Equidem vt concedamus: Habens enim nos ad concedendum faciles: magnum esse Saphænæ dictæ in vterinis affectibus vsum propter venarũ vteri & huius colligationem, frustrà tamen in reliquis seligendis præponendam alteram alteri putant: & ipsius Saphenæ stulta est incisio, si vicinitate rem facimus, quoniam

vienæ pedis

niam multo altius, qua eadem vena per se-
dem tibiæ internam sub cute in varios ra-
mos scissa est, eodem munere felicius per-
fungeremur. Cessent igitur, adolescenti-
bus dehinc obtrudere varias venarū fru-
strà comparatas appellationes: neq; ex lo-
corum coniunctione aut propinquitate de-
lectum suum confirment. Quid igitur? A-
liud ne auxilium habent, quod nobis ad-
uersatur? cur hæc Hepatitis sit, splenitis
altera? Rectitudinem ductus, κατ' ἴξιν vo-
cant. At est eadem rectitudo & fortaßis
commodior ex Liene ad dextrum, quàm ex
eodem ad sinistrum. Nam ad δ vsque quod
primæ in caua vena diuisionis iuxta iugu-
lum notā habet, vna est via, vna recta de-
ductio. Est aūt posteà ad ε & ζ par quoque
& similis ductus, videturq; ex ε ad δ la-
psus procliuior quàm ex ζ. Expedire se vi-
ri grauißimi ex discrimine non potuerunt,
quòd natura aliter venas educat: aliter nos
in externa specie hæreamus, & imaginatio
ne fictos canales ex viscerib. rectà sursus ad
vicinum brachium excurrentes commi-
niscamur. Quamobrē leue est ex rectitudi-
ne indicium. Sed hoc multò grauius quod
me diu in errore detinuit, Magicum: so-
lere in natura partes partibus respondere,

vniusq́, leuationem alteri quoque afferre curationem. Quo pacto videmus, cerebra cerebris, pulmones pulmonibus, sinistra sinistris plurimùm conferre: neq́ ignoramus, magnum adiumentum Magis in laterum conspirationibus positum esse. Verùm si diligenter animum aduertas, primùm illi hoc nobis non dabunt: quoniam eo stabilito & concesso, nihil interesset, quam venam, dummodò responderet latus, diffinderemus: & si proportionem sequendam sibi esse putarent, ex Magicis institutis, Cephalica dicta, Lieni plus prodesset quàm axillaris, ex simili positu: quæ duo apud eos absurda sunt, abhorrentia ab illo quod semel placuerat. Ergo hoc nobis non obijcient, aut si id alij conentur, responsio in promptu est, quæ pro dissoluenda captione dici contra aduersarios posset. Nam id nō necesse est, vt quælibet duo, cùm tertio aliquo similia sunt, communem statim medicationem accipiant: Imò verò id nunquam accidit. Si autem illa cōiunctio esset inter lienem & sinistrum brachium, intercederet eiusdem sanguinis communicatio, essetq́ brachium sinistrum, totum Melancholicum: dextrum, biliosum, quod sensus aliter inueniunt. Nam teneriora sinistra quæ superius collocantur, sunt: dextra

crassio-

craßiora. Atq; si bilis obsedißet siinistram capitis partem, sinistræ venæ non essent aperiendæ, cùm hæ Melancholicum sanguinem contineant, cuius eiectio non habet vtilitatem in morbis biliosis. Repugnat igitur laterum cognationi experientia: quam aduersarij quoq; huius litis iudicem decernunt. Aiunt enim se ex sensu testatis loqui, quamque ipsi viderint, hanc se sequi vtilitatem: quæ maxima sit ex obseruatione peculiarium venarum: His autem neglectis, se non dubitare quin magna pernicies in contemptione sit. Hoc videamus, quod illi asseuerantius quàm reliqua vrgent. Sumimus nos eandem vniuersalem, qua, qui aliter sentiunt, vsi fuerunt. Ex cuius omißione detrimentũ capimus, hoc si magni fiat, fructum afferet. Ergo quæ res intermissa damnum non adiungit, ea obseruata non erit vtilis. Si in spleneticis sinistram iecorariam non seces, erit sine periculo. Itaq; si seces, nihil magis prodesse potes. Minorem Galenus conceßit, cùm exteriorem aperit venam, non apparente ea, quam interiorem dicunt. Impudens autem sit, si periculosa sectione vtatur: indoctus, si non potius abstineat. Deinde nunquam qui hodie Medicinam faciunt, spleneticam vel iecorariam secant, sed ramum semper

discindunt qui communem venam efformat: aut in manu nouam iecorariam, Cephalicam, Spleneticam liberali mendacio fingunt. Si igitur vtiliter illi venas tractant: nunquam autem Hepaticam incidunt, quod à peritis viris citra sectionem monstrari potest: Constat neque seruatam prodesse, neque intermissam distinctionem nocere. Aduersarijs verò, cùm ad experientiam prouocant, concedendum est, vt suo se iugulent gladio, & cæteri intelligant, quantum in Anatomicis contemplationibus progreßi sint. De lateribus eadem est explanatio: Neque est alia caussa erroris tanti, tam longè latequé diffusi, nisi quod veteres cùm falsam sententiam ex vicinitate & rectitudine dicerent, vt verisimilior esset, & benè constituta opinio perturbaretur, proferrent experientiam, qua sciebant animos hominum facilimè flecti: aut quòd si quid incommodi inter secandum ex peregrina causa euenisset, confestim illi secum deliberarent de vitio hoc in sectionem transferendo, neq; prospicerent in longitudinem, Quare quòd in spleneticis morbis sinistram axillarem conferre putant, rectè id quidem dicunt: Conueniret autem non minus, vel Cephalica sinistra vel vtraque dextra: Si tamen

humor.

humerariam sinistram incisam aut dextras apertas nocere existiment, grauiter errant, Quod nos hactenus refutauimus. Deinceps autem, non an hæc vel illa conueniat: Fregimus enim hanc opinionem: sed an quæpiam aperienda sit in peste vel curanda, vel ne inficiat, temperanda, exquiremus. Galenus in crudeli sæuitia pestis ait, qui bolo Armeno non fuissent curati, interijsse omnes: quamuis omnia rectè adhiberentur. Ergo neque venæ sectio neque aliud quicquam profuit, sed Antidotis leuabantur solis, quotquot restituebantur. Sed hoc nihil ad nos. Dicimus itaque, neque dissuadere pestem, neque postulare φλεβοτομίαν. In seruandis enim sanis quid effecisti, sanguinis detractione? Moles imminuitur: frigescit corpus: cohercetur putredo. Verùm hæc omnia quid ad pestem adiumenti habent, aut quam mitigationem afferunt? Sic in curandis ægris quid sanguine detracto impetras cùm æquabiliter vitium in humores fusum sit, neque hi alijs medicinis quàm occultis in naturam quasi domicilium suum perueniant? Accidentia leniuntur: Sed de his separatim agetur, neque cum peste confundenda sunt.

De

An venae sectio prosit in peste

de purgantibus medicis

De medicinis autem purgantibus, vt aliquid differamus, necesse est: cùm sermones multorum doctorum disputantium ea de re habiti sint. Authoribus quidem ad istam sententiam quam defendimus, vti optimis possumus: Sed quoniam in accommodatione à nobis dissentiunt, eos dimittemus. Nihil experimentis cedimus, quæ cum contrarijs commutari possunt: nullis ex imbecillitate, alui commotione, calore argumentis vtemur. Cùm ad venenum purgantia non progrediantur: quid enim humorum purgatio ad venenum? & insistant consuetis superfluis trahendis, ad pestem nulla fit ex soluentibus curatio. Quid enim si bilem, sanguinem, phlegma, Melancholiam, si omnia funditus euellas, quid veneno detrahes? si fons manet, cordis malum. Quandoquidem igitur hoc patet nostra explicatione, remotis omnibus quæ quidem cibus, purgantia medicamenta, venarum incisiones tollunt, non consequi pestis curationem: superest, vt si sanari potest, quod nos assumpsimus, remedium in solis Antidotis, abiectis reliquis salebris inueniamus. In hac re Galenus vt ostendimus, testimonium suæ experientiæ nominat, nobisq́ assentitur.

De

DE PRÆSERVATIONE ET curatione per Medicamenta occulta.

VICIMVS hucusq; obstacula, quæ nobis in recta progreßione interiecta erant: quibus superatis in illustri nunc medicamentorum tractatione consistimus. Quare quæ simplicia sunt, anteire sinemus, subiungemus autem composita, & ex vtrisq; præstantißima quæ vel pauci scriptis complexi sunt, vel non satis explicatè tradiderunt, nihilq; seruationem à Medicatione distinguemus, cũ suprà definita sint vtriq; communia auxilia.

DE SIMPLICIBVS quæ pesti aduersa sunt.

LIBET mihi exordiri à mirabilibus, & quæ illustri gloria decorari possunt. Lapis Bezoar ab antiquis describitur, magnificentißima laude ad venena qualiacũq; : in quo admirari hoc licet quòd deuoratus, appensus, collo gestatus & ore, venenis omnibus, discrimine sublato, resistat. Habebatur in partibus orientis, moleque duodecim granorum Antidotus erat:

aut

Thus. *aut si thus ab eo effigiem scorpij statis temporibus insculpti recepisset, Thuris vsus pro lapide valebat. Medicamentum à solis Regibus solui poterat: quod filius Mamari vt obtineret, Palatio Cordubensi dicitur emisse. Intercidit lapis sublataqúe est ex vsu hominum nobilißima gemma. Sequitur hanc Medicinam Lachryma cerui: quam nonnulli cum antecedente bezoar turpiter confundunt: quidam centum annorum conuersionibus in oculorum angulis oßibus ceruorum annasci putant. Fallopius negat, qui ad pestem eam probauerat, acceptam à Lusitanis. Hi natura ita formari in vesica fellis affirmauerant, in animante hirci simili-mo: & vi medicamentosa reliquis omnibus antecellere. Ex Metallicis Hyacinthus anteferri debet: cur verò in pestem agat, Cardanus ridiculè putat caussam esse, tristitiæ depulsionem: & alio loco nescio cuius paßionis ex colore immutationem. Posteà Smaragdus est. Sumuntur autem fragmenta illius pondere quinque vel sex granorum, ex vino & aqua rosata commistis. Deinde Topazij: Carbunculi, Sapphyri & Corallij, scrobes succedunt.*

Lachryma cerui

Hyacinthus

Smaragdus et alij Lapides

Mirum est quod referunt, integros serua-

uari

uari ex poculo aureo, cui ingenerata sit, argenti pars quinta aut sexta. Multis aurum potabile placet, cuius parandi modos operæprecium est considerare propter multiplicem illius in veneno & alijs morbis vsurpationem. Describunt hoc multifariàm. Nos relictis quæ popularia sunt, in rarioribus versabimur, sinemusque suo quenque sensu abundare. Matthiolus in suis Epistolis diuersos modos explicat, qui nobis deserendi sunt: Afferemus autem tres è reliquis magis insignes.

Aurum potabile

Accipe aquam vitæ eximiam quæ pannum lineum adurat: quam per Alembicum transmittes, vt ad perfectionem nihil desit. Dein accipe sal chelidonij, sal sanguinis humani, & sal mellis ana quantum visum fuerit. Quod triplex sal constitutum in vrinali asperges aqua vitæ suprà posita, ea proportione vt aqua vitæ ad sal quadrupla sit. Clausum vrinale cum suo antenotorio in balneo per quatuor & viginti horas pones. Detracto posteà antenotorio, Alembicoque & recipiente adhibitis, iuncturis probè præclusis stillent in cineribus, vt sal & aqua transmittantur. Si quid mãserit, de nouo distillatã aquam affunde, dum totũ transmissum sit.

descriptio Auri potabilis.

Tum

Tum vnciam vnam salis denuò misce & per Alembicum, vt anteà, exige. Hoc adhuc semel repetes: & quod destillauit, pones in vase alto angustoq́; per quinquaginta dierum decursus ad circulandum, ne vas respiret. Quo interuallo absoluto, in fundo desidentem ὑπόςασιν albam instar vrinæ sani viri reperies. Hāc dimittes, sed aquam euacuabis cautè in aliud vas mundum. Claude vas aquæ circulatæ ne respiret, & serua in balneo. Posteà Lunam recipe, ex qua cum Mercurio in calcem redacta studebis vt Mercurius totus remoueatur. Ita solem quoque calcinabis, hæcq́; duo separatim singula in patinis vitreis posita, melle despumato affuso optimè miscebis, super cineres vt bulliant Aqua dehinc distillata calida mel à calcibus remouebis, vt calces solæ maneant. Affundes mel secundò & tertiò, & repetes hoc opus ter, miscendo, & abluendo. Deinde cape duo corpora in calcem soluta, & lota, inq́ue vas solutorium constitue singula separatim, affusoq́; menstruo, vt tribus digitis excedat, claude vas antenotorio, iuncturisq́; obturatis cum cera gummata ne respirent, pone viginti quatuor horis in balneo vt leuiter bulliāt: posteà binis diebus in cineribus. Tunc partem Solis quæ soluta est in

aliud vas transferes. Sic partem Lunæ solutam in peculiare vas euacuabis, eritq; Sol flaui: Luna cærulei vel viridis coloris. Dissolutiones singulas singulis vasis, vt suprà, in balneo conseruabis: Terramq; vtranq; non solutam super cineres exiccabis. Quod si ritè peregeris: cuique affunde menstruum nouum, & vas antenotorio clausum, vt suprà, in balneo colloca, vt leniter bulliat, cæteraq; omnia toties repete, dum omnia soluantur. Itaq; vtrunq; dissolutum peculiariter quadraginta diebus putrefacies, postq; obstructis iuncturis totum menstruum distillatione in balneo elicies: Corporaq; manebunt oleaginea forma: Tum denuò aquam iamdudum destillatione expressam vt tribus digitis excedat, asperges, inq; vase cum antenotorio putrefacies per diem naturalem. Quibus factis per cineres lento igne traijcies, posteà verò aucto semel igni vt in aquam transeat aër, demum ita amplificabis flammam vt in aêrem transcendat ignis. Frigefactis vasis, materiæ quæ remansit nouam aquam affunde, seruato spiritu animato cuiusque corporis in suo recipiente benè clauso ne expiret. Clauso iterum vase putrefacies, per cineres exiges, ignemq; augebis, vt suprà fecimus, idq; toties dum vtraq; corpora priuatim per aëream reuolutionẽ trans-

mittantur per Alembicum. Quòd si integra non transeant, quod superest, in alios vsus seruabis. Cæterùm cape spiritum Solis animatum, perq; cineres septenis vicibus corrige, neq; tolle quicquam terrestris materiæ, quæ in singulis rectificationibus manet in fundo: sed his semper relictis quod exijt, reddes dum septies opus perfeceris. Idem facies in aqua Lunari animata superius seruata: Binas igitur aquas septies correctas coniunges, quas probè occlusas per sexaginta dies in circulum ages: Tumq; nouo nomine notatur, Menstruum admirabile, Acetum acerrimum, Aqua sicca, &c. Accipe igitur tres vncias Solis, quem in calcem rediges, dissolues, ab aqua in balneo separabis, vt suprà factum est. Debet autem hæc dissolutio fieri cum eo menstruo quod suprà destillatione euocatum, & cum triplici sale effectum fuit acutum. Remota per balneum aqua, affunde Menstruum illud admirabile vt tribus digitis superet, operculoq; adhibito & iuncturis optimè clausis admoue cineribus ad ignem lentum. Euacuabis igitur solutum, & translatum in aliud vas custodies occlusum. Remanenti verò materiæ adde id totum, quod de menstruo admirabili superest, vasq; quàm optimè obtura cum operculo, vt Sol totus dissoluatur.

Solutionem priori adiunge, quæ instar rubini vel carbunculi rubebit. Deniq; si in balneo per viginti dies: & per totidem in cineribus ad circulum agitaueris, reperies in fundo gummi quoddam instar carbunculi, & aquam huic circunfusam albam quæ cautè semouenda est, ne gummi conturbetur. Habes itaq; verum Aurum potabile: naturæ humanæ conuenientißimã Medicinam ad omnes morbos, præsertim autẽ Phtysicos, Hydropicos, Leprosos, & Pestilentes. Si impensas metuis, & ne res familiaris ex tractatione antegressæ præparationis delabatur, sequente modo licebit experiri. Aurũ purißimum, in folia explicatũ constitue in vase vitreo præcluso mẽstruũq; ab omni phlegmate liberatũ (id est, quintam vini οὐσίαν) sed cũ sale Armoniaco philosophorum puro, sublimato mũdoq; ab omni sorditie & terrestri materia, acutius factũ affunde: Vase autem & iuncturis clausis lutoq; obductis, in cineribus tepidissimis & lentißimis illud collocetur, paucisq; diebus elapsis, in aquã citrinã claram & lucentẽ aurum solutũ erit. Aperto igitur vasculo, aquam cautè ne à fecibus corrumpatur in aliud vas mundum transfunde. Totum deinde opus hoc in relictis auri fecibus repete affusione noui acuti menstrui, & reliquis, cernesq; iterum aquam

Vsus Auri potabilis.

Alia preparatio Auri potab.

colore tingi : quam vt suprà, euacuabis. Hoc totum toties faciendum est, donec aqua à fecibus non amplius tingi poßit. Accipe igitur aquam omnẽ coloratam in qua totum aurum confusum est: & in igne lento cinerum per Alembicum exige. Exibit aqua colorata cum quinta essentia auri. In fundo autem desidunt feces salis Armoniaci, neque ex his quicquam cum auro eductum est. Vt verò quintam essentiam vini à quinta auri disiungas, phlegma ardentis aquæ affunde ambabus mistis, lentoq; igne in balneo Mariæ vt stillent, procura. Educetur aqua clarißima, quinta vini substantia cum suo phlegmate confusa. Quinta verò vini οὐσία in fundo sola manet purißima instar mellis, odore incredibili.

Alius modus Auri pot. par:

Sed & tertius modus est facilimus. Aurum purum limatum, solutum in aqua forti accipe, & in balneo per Alembicum aquam totam exige. Quod verò in distillatorio hæret, aurum calcinatum, in vitreo organo positum cum aqua mellis distillata, vt hæc tribus digitis sit altior, miscebis: Aquam extrahes. Affundes in extractæ locum aliam similem, hocq; toties dum salsedo quam ex aqua forti aurum attraxerat, tota ablata sit. Dulciori igitur effecto auro aquæ vitæ septies destillationem perpessæ

affunde

affunde, vt calx auri soluatur: separaq́; aquam vitæ cum Alembico vt aurum in fundo veluti cera hæreat, aut oleum grossum: quod est potabile aurum. Cæterum ne parandæ mellis aquæ rationem ignores, Accipe mellis puri tantum, vt tertia pars organi expleatur, immißisq́; duobus aut tribus lapillis minutis viuis, qui in aquis reperiuntur, ad balneum adhibe, & artificiosè aquam euoca. Vires auri potabilis vt recenseam, non est opus, quæ ab infinitis Metallorum Magistris describuntur. Eoq́ue nobis est satis factum, si in peste egregia illius vtilitas hominibus probetur. Sequitur aurum proximè, Arsenicum: de quo anteà diffuse disseruimus.

Ab animalibus depromptæ Medicinæ sequentes ferè sunt: Os de corde cerui, testimonio Matthioli & Fumanelli. Lapis ex aspidis capite quem suspensus euomit. Picus linguis eorum vtitur. Ciconiæ pullus nundum volans, plumosus tamen, viuus ollæ testaceæ inclusus, furni vapore in cineres cōburitur, efficacißimo ex vino ad pestem adiumento. Commendant alij ciconiæ ventriculum. Excellens est cornu monocerotis quod superiorum gloriam in propulsando veneno vincit. Reliqua nota sunt.

Ebur.

Ebur si legitimum sit ex Elephanto.
Aqua ex sanguine verris castrati,
Fimo bouino,
Sanguis Ciconiæ,
Anatis vtriusq;
Gallinæ nutritæ serpentibus.
Anseris,
Hædi.
Viperæ.
Scorpiones.
Stercus pueri cũ Moscho de vino potũ,
Columbarum incensum.
Vrina pueri.
Oleum ex stercore humano,
Scorpionum.
Viperarum.

Itaq; progrediamur ad terras, & ea quæ mare suppeditat, auxilia. Lemnia terra variationem in colore habet, neq; verum est, rubedine illam circunscribi, quod Fuchsius putat: quoniam eadem terra, ex eadem lacu eruta, diuersis modis natura tingitur, vt vel ex obscuro pallidè, vel nitidißimè rubeat saturato colore: aut varicolor sit ex albo & rubeo: estq; in his singulis à minimis & obscuris coloribus ad illustres progreßio, vt quædam alba videri poßit: quã aiunt præstantißimam esse. Verum iudicium aliud sequendum est certius ex gu-

Terra Lemnia

ſtu, vt terras ſeligere poſsimus: ſi aromaticum ſaporem fundant, & inſtar ſeui mandendo colliquata, non admodum ſabuloſæ ſint: quamuis ſigillorum & notarum conſignationibus facilimè cognoſcantur. Effodiunt in Lemno ſexto Auguſti die, ſolenni pompa: neq; pòſt, decurſu totius anni, licet cuiquam venas huius terræ explorare, aut apertas intueri. Secundo loco ſequitur terra antegreſſa, bolo armeno immiſta: Deprehendunt hanc temperantiam tùm ex reliquis indicijs, tùm maximè ex ſigilli notatione quod duas tantum literas habet, mirificè conuolutas. Tertia eſt in conſecutione ordinis, Bolus ſeu gleba Armenia, quæ cùm pallida ſit & in luteum deflectat, falſò hodie in Medicinis rubea circunfertur. Naſcitur in Armenia in Agro Agaraces, monte Hagarana, ad peſtem præſens auxilium. πίνεται *ait Galenus,* μετ᾽ οἴνου λεπτοῦ τὴν σύστασιν, κεκραμένου μετρίως μὲν εἰ ἀπύρετος εἴη παντάπασιν ὁ ἄνθρωπος ἢ βραχὺ πυρεταίνοι, πάνυ δ᾽ ὑδαροῦς εἰ πυρέττοι μειζόνως. *Libuit ſermonem Galeni totum recenſere, vt nobis tacentibus, febris in peſte appellatio tollatur. Quid eſt peſtis? Febrem eſſe aiūt. Quæ eſt Galeni ſententia?* ἀπυρέτους *quoſdam eſſe, qui peſte torqueātur. Quid ſequitur?*

Bolus Armeniacus

θ περὶ τῆς τῶν
ἁπλῶν φαρ
δυν.

vt faciam. Perspicuitas conclusionis loquitur, si quidam sint ἀπύρετοι, febrim esse pestis consequens σύμπτωμα: non genus, cùm species semper afferat consecutionem generis: Itaq; nisi genus abesse à specie posse arbitrentur, desinent febrili constitutione pestem explanare. Non concedimus, inquient, Galeno. Certent igitur cum illo cui hactenus omnia crediderunt, in cuius authoritate delitescunt: Nolint mecum, qui hoc quidem libenter, febrim ad perceptionem pestis nihil conferre, Galeno assentior, quanquam id mihi absurdum videtur, non moueri illos authoritate acuti hominis, & principis, & præceptoris, & nihil docentis eorum, quæ non ex firma immotaq; conclusione, aut sensuum testimonio dicuntur. Vellent enim multò illustriorem esse vnius hominis in grauissima disciplina gloriam. Hæc igitur cum imprudentibus Medicis acta sint, qui cùm hominem veritati anteponunt, sæpe ad id quod minimè volunt, reuoluuntur.

Sequitur bolus orientalis, quem constat non esse Lemniam terram ex constanti sapientium hominum testimonio, à quibus illæ terræ propter discendi cupiditatem peragratæ sunt. Placet nobis cum quibusdam Medicis rubricam esse Synopicam:

Et ex

Et ex Cappadocia ad nos afferri Veneti mercatores teſtantur. Non contemnendam leuationem in venenis creta Melitenſis efficit, niſi in gypſo à corruptoribus poſita ſit. Odores ex ſuccino & Ambra parantur ad hoc malum. Candidum autem ſuccinum pondere denarij potum & naribus inunctum quod ex ſuccino eſt, oleum aut ſaccharaceis placentis immiſtum, mirum eſt, quàm commendent practici Medici. Sed nos ad herbas properamus. Ex his potentia excellunt.

Rutæ Capraria ſuccus, & illius radicis decoctum: Herba etiam ipſa comeſta, vel impoſita. Egregiè autem auxiliatur ſtillatitius liquor. Ruta Capraria

Angelicæ radix mole drachmæ dimidiæ, cum Theriaca, ex aqua Angelicæ pota: aut ſola naribus admota. Angelica

Antitoræ radicis, ſcrupulus vnus, cum aqua roſacea.

Ariſtolochia longa, rotunda, & vulgaris.

Galangæ radix manſa.

Laſerpitium.

Gentiana deuorata & dentibus agitata. Aqua deſinentibus canicularibus diſtillata ex radice contuſa.

Raphani ſylueſtris exiguum pondus.

Ruta.
Petasites.
Saniculæ fœminæ radi. puluis ex vino.
Scabiosa.
Laureola.
Scordium.
Verbena.
Rosmarinus coronarius:
Saluia.

Pulsatilla Matthiolo: Anemone purpurea Fuchsio

Pimpinellæ maioris seu hircinæ saxifragiæ radix succusq́; radicis, aut stillando aqua expressa.

Tormentillæ puluis ex aqua debita ad integram drachmam: succus radicis, & herbæ: Aqua stillaticia cum Theriaca.

Thlaspi à Manardo extollitur.

Radix Valerianæ pota & odoramenti loco vsurpata, tum quæ in balneo euocata est, aqua.

Alsclepiadis radix.

Calendula.

Gentianellæ, cruciatã appellant, Aqua ex radice & herba: Radicis puluis.

Zaduaria. Zingiber.

Nux vomica contrita ex ouo sumitur, quæ cùm canem iugulet, homini nullum damnum adiungit.

Anagal-

Anagallis vtraq; sudore venenũ pellit.
Allium pro rusticis, & frigidis.
Agaricus venenum purgat.
Bethonicæ folia: & coronariæ Bethonicæ, quæ in coronas puellarum absumitur, radix.
Dictamni Cretensis folia.
Albi radix & aqua.
Asphodeli radix semen & flores.
Hypericum, vel perforata.
Iuniperi folia, succus foliorum, semen, lignum.
Lauri folia, baccæ.
Ligustici radix & semen.
Succisæ radix, herba & aqua stillando comparata.
Nux Moschata.
Aqua ex putaminibus iuglandum.
Veronicæ aqua, Herba decocta, puluis.
μονόφυλλον *cum radice ex vino.*
Ex Fraxini interiore cortice liquor distillatus.
Aqua Filipendulæ.
Helenij aqua, radix.
Ellebori nigri radix, per aures transfixa: pectori calcaneo inserta præseruat.
Consiliginis radix læua effossa ante Solis exortum ceremonijs seruatis auri infixa: & liquor potus.

Cinnamomum.

Citri cortex ad venena experimento probatus.

Radix Bardanæ. Chamædrys.

Minoris Centaurij succus & aqua.

Attractylidis hirsutioris, vulgò benedicti cardui, folia, semen, & aqua.

Spinæ albæ semen cum foliorum aqua commistum.

Bistortæ radix & aqua.

Suarij cardui, Chameleontis albi, vel Carolinæ, officinis Cardopatij radix mole vnius drachmæ ex vino.

Chelidonij magni radicum Manipulus, ex rosaceo aceto sudorem mouet.

Dracunculus, translatione experientiæ: quoniam manus eius succo munctæ serpentes abigunt.

Syluestris Coronopodis, drachmæ duæ ex vino albo.

Cyani flores & semen.

Crocus.

Rubiæ ex Maluatico vel aceto, drachma vna.

An verò hæc omnia venenis aduersentur, dubium nobis est: quoniam quæ sudore malum vincunt, nisi in facultatem robustam incidant, videri possunt, nihil ad sanitatem collatura. Quamobrem si quid occurrat,

occurrat, quod non habet denotatam apud Medicos veneni trahendi vim, huic cætera miscebimus, quæ adhibita consuetudine veteres internoscere pro occultis medicamentis potuerunt. Oportet enim ad medicinas præscriptas habere artem quandam, qua occultas à manifestis poßimus distinguere, & vsus adhibendus est, vt ad absolutam curationem nihil prorsus desit. Licebit autem ea omnia in varias figuras cogere, quarum efformatio apud Medicos regulam non habet: nisi quòd igni expressa omnia commodiora sunt, & stillantium liquorum magnam oportunitatem ad curandum ars humana dedit. Nam si mors fabricam nostram dissoluit: ad hanc autem morbo veluti itinere quodam progredimur: perspicuum est, omnium approbatione, morbos esse ad corruptionem antegressas præparationes. Itaq; quæ morbos sanat, Medicina, à corruptione mortales vindicabit: tantoq; salubrior est, & magis excelsa, quò arte studioq; hominum longius ad integritatem proceßit. Alchymica verò medicamenta puriora, fecibusq; & immunditie solutiora & magis libera sunt, quàm vulgaria sordibus & craßis inquinamentis cõtaminata. Quid enim sordidius quàm tota oleorum & serapiorum in nostris officinis

tracta-

Alchimiae Laus

tractatio? Reliqua ferri possunt Sed cauere debebant Medici ne eam quæ tributa est Medicamentis tantam qualitatum præstantiam occultarent obscuritate, terrestris & feculentæ materiæ: ne quod uirtutibus plantarum in curando effecerunt, tantum aut amplius, impuritate terreæ substantiæ euerterent. Hæc tamen alio loco copiosè explicabuntur.

DE COMPOSITIS MEdicamentis quæ veneno resistunt.

DIXIMVS, licere omnibus suo arbitratu ex simplicium coniunctione nouas Medicinas constituere. Sed quoniam arte nihil effici potest, nisi is qui artem exercebit, multa perceperit: & præstat initio, re nōdum cognita, ad veterum se authoritatem & experientiam conferre: seligemus quædam, quæ & artificiosè vnita sunt, & insignem vtilitatem suam aliquoties probarunt. Ad harum posteà similitudinem discentes suas cogitationes referent, studebuntqúe vt exprimant veterum diligentiam in similibus reperiendis. De Theriaca, Mithridatica, esdræ confectionibus, quarum & vsus & compositionis per-

tis perceptio vulgaris est & notißima, nihil separatim agemus. Versabimurq; in illustrium & rariorum tractatione. Itaque primum locum tenet Antidotus sequens:

Recipe Olei antiqui centum annorum, quo si cares, coque quod recentius est ad acredinem in sartagine, libras quinq;.

Terebenth. optimæ, vncias sex.

Euphorbij.

Castorei, vtriusq; drachmam vnam.

Lumbricorum ablutorum vino Maluatico, Manipulum dimidium.

Mista collocantur in vase vitreo, bulliuntq; in balneo, per conuersionem decem horarum, (liber manuscriptus quatuor horas nominabat). Colo traijciantur sine expreßione per pannum mundum, misceanturque.

Scorpiones sub Syrij ortum capti centum octuaginta.

Viperæ fœminæ duæ in frusta dissectæ cum capitum, caudarum, & sanguinis retentione.

Bulliant denuò vasq; vel Soli exponatur, vel arena sepultum sit per decem canicularium dierum decursus. Tum adiunges.

Zaduariæ. Tormentillæ.
Gentianæ. Dictamni albi.
Aristol. longæ.

Rhabar-

oleum de scorpionibus

Rhabarbari electi, singulorum vnciam vnam.

Altheæ,

Perforatæ,

Ebuli,

Rosmarini singulorum siccatorum, Manipulum dimidium.

Theriacæ,

Mitridat. confect. vtriusque vnciam vnam.

Tritis quæ teri possunt, misceantur omnia & in vitreo vase probè occluso in fimo equino condantur ad sexaginta dierum effluxus vel amplius.

Extractum vitrum igni admotum stillatitium liquorem dabit, preciosissimum ad venena. Cæteri putrefactione contenti sunt, neque ad stillationes prorediuntur: Sed his vngendo satisfactum est, illinuntque arteriis manuum, pedum, temporum, & dorso: interdum cordi adhibent. Repetunt ter vel quater, vt sex horæ intercurrant inter duas admotiones. Vsus eius maximus est, in viperarum ictu, vermibus & peste: inunctumq; & per os assumptum eximiè prodest.

Posteà hoc quod sequitur, laudatissimum est medicamentum. Accipit autem

Radic. Tormentill. viridi. libr. vnam.

Dictamni,

Dictamni, libram dimidiam.
Helenij, vncias quatuor.
Buglossæ,
Borraginis cum suis floribus, vtriusq; libram vnam.
Pimpinellæ,
Scabiosæ, vtriusq; libram dimidiam.
Succi Limonum, libram vnam.
Theriacæ, libram dimidiam.
Aquæ ardentis ex vino optimo, vncias decem.
Terræ sigillatæ,
Boli Armeni vtriusq; vncias duas.
Been albi, rubei.
Margarit. splend. omnium vnciam vnam, & dimidiam.
Oss. de corde cerui, vnciam vnam.
Rasuræ Eboris, vnciam dimidiam.
Croci, drachmas tres.
Camphoræ, drachmas duas.
Foliorum auri, vnciam dimidiam.

Auri folia cum melle in Porphirio terantur: Deinde in ampulla aquæ ardentis ritè obturata, per triduũ statue. Sic tritas Margaritas in occluso vase, quod succum Limonum habet, per totidem dies conserua. Radices autem optimo vino lotas, siccatas & concussas in mortario optimè: Herbas & semina mediocriter: omnia coniun-

cta in vitreato vase obstructo in fouea trium pedum alta pone, cuius fundum calx viua dimidij pedis altitudine tegat. Debet in medio vas collocari, circunfusum fimo equino & tectum, aqua aspersa, vbi per duodecim dierũ interualla fuerint putrefactæ species, renouato in triduum fimo: stillando ad ignem omnibus rectè occlusis aqua extrahatur, quæ bis fecibus reddenda est: retinendaq; cùm tertiò per Alembicum exegerimus. Tertia igitur hæc stillatio quartò repetenda est, sed in vitreis vasis ad balneum: Tumq; demùm in maximam vtilitatem seruanda, quam præbet vel sola drachmis quinque pota: vel cum auro potabili.

Primò simile est, quod iam describimus:

Cape olei Hyperici,

oleum vtile. *Ex infusione rutæ caprariæ,*

Florum momordicæ, añ lib. 1.

Scorpiones viuos numero 100.

Viperam viuam vnam.

Olea ferueant simul in duplici vase & cùm bullire incipiunt, impositos viuos scorpiones & viperam viuam obstructo vase coquito ad horam. Coctioni

Adde florum Hyperic.

Altheæ,

Ebulorum,

Ruta

Rutæ Caprariæ, ana Manipulũ vnum.
Pulue. Gentianæ,
Dictamni albi,
Cort. rad. capp.
Aristol. vtriusq;.
Baccarum Lauri,
Pœoniæ,
Ireos,
Cyperi, omnium vnciam vnam.
Cinnam. vnciam dimidiam.

Vase obligato bulliant ad ignem lentum per horæ spacium: solíq; per viginti dies exposita diligenter exprimantur stillando. Vngendo auxiliatur strenuè.

Commendant alij ex sanguinibus medicamentum Damocratis, quod apud Galenum est legere lib. secundo de Antidotis. Nostra descriptio paulò aliter habet, quam componunt.

Antidotis de sanguinibus

Sanguinis sicci anatis maris, fœminæ,
Anseris,
Hædi,
Rutæ syluestris recentiorum.
Sem. Cumini,
Fœniculi,
Anethi,
Napi,
Rapi, ana drachmas tres.
Rad. gentianæ, Trifolij,

Schenanthi,
Thuris,
Rof.rub.ficc.
Rad. Dictam. albi, ana drachmas quatuor.
Piperis albi, longi.
Cofti.
Valerianæ.
Sem. Anif.
Cinnam. omnium. drachmas duas.
Myrrhæ.
Nardi Indicæ, vtriufq; drachmas fex.
Laferis odorati.
Ammoniaci, vtriufq; drach. tres.
Sampfychi,
Agar. trocifc.
Rad. chamæl. albi, ana drach. duæ.
Ireos.
Croci.
Rhabarbari.
Zingiberis.
Mafliches, omnium drach. vnam.
Stæch. drachmas quinq;.
Carpobalfami officinarum, fcrupulus vnus.

Tenuiffimè trita, cum melle coeant in confectionem liquidam: aut in conuenientibus oleis cocta, fepultaq; magno interuallo in fimo equino ad diftillandum adhibeantur.

antur. Venenis aduersum est: & apud practicos miscetur soluentibus pharmacis mole exigua: quod nos non vituperamus, si purgatione sit opus. Verùm ostendimus ad pestem apertionem alui nihil conferre.

Confectionis Saxonicæ laus ampla est, illiusq; vsum primus Moybanus in Medicam Remp. introduxit, cùm vim ad venena insignem, multorum sensibus testatam deprehendisset,

Confectio Saxonica Moibani

Habet Rad. Valerianæ, vnciam dimidiam.

Hirundinar.

Vrticar. minor. vtriusq; vnciam vnam.

Polypodij quercini.

Altheæ,

Angelicæ syluestris, omnium vncias duas.

Satiuæ recentis, vncias quatuor.

Cort. rad. Laureolæ vnciam vnam cum semisse.

Radices effodiendæ sunt inter Augusti diem quintum & decimum, & septembris octauum.

Incisæ igitur radices in olla vitreata optimè obstructa positæ, cõspersæq; acerrimo aceto vt duobus digitis excedat, ad lentum ignem bulliant. Olla aperta acetoque abiecto siccato radices vt teri poßint in

pulueres. Tritis igitur adde acinos herbæ paris viginti sex & fac pulucrem, quo vteris ad venena, pestem, Asthma, Icterum Lienis obstructionem, retentos menses, calculos & quartanam. Licebit in cane periculum facere quantopere venenis repugnet.

Aqua aurea

Aquæ auriæ appellatæ non adeò artificiosam descriptionem circunferunt, cùm eam aiunt recipere,

Rad. Laserpitij,
Gentianæ,
Dictamni albi,
Tormentillæ,
Carui, ana drachmas tres.
Rad. Aristol. long. rotund.
Helenij,
Pimpinellæ,
Bistortæ,
Chærefolij,
Rutæ,
Centumnodiæ,
Menthæ,
Raphani syluestris, omniũ drach. duas.
Boli Armeni sesquidrach.

Hisque omnibus in puluerem redactis misceri volunt.

Mithridat. confect. libram dimidiam.
Theriacæ, libram vnam.

Succ

Succi Chelidoniæ, vncias quatuor.
Veronicæ, vncias tres.
Vini sublimati, libras quatuor.

Distillant in vesica vitrea rectè occlusa ad balneum, magno vsu ad venena. Cæterùm sudorem eliciunt, post exhibitionem drachmarum trium. Possunt similes aquas conficere, qui rationem componendorum simplicium assecuti sunt: neque ex instituto veterum, antiquis tantum vtemur & paratis confectionibus. Itaque ex ijsdem medicinis tabulas, electuaria, pulueres efformabunt suo arbitratu: hocq; sine aliena industria consequentur. Nos verò gloriosis, & excelsis medicamentis insistemus, quæ cùm ingenij acumine constituta sint, non habent facilem comprehensionem.

Recipe auri vitæ sequentis præparati grana tria. Quod ablutum cum aqua rosarum & conseruæ rosaceæ mistum dabis vt deglutiat, Eijcit venenum sudore, vomitu, commotione ventris, admirabili potentia. Fit aurum vitæ ex Mercurio cum aceto & sale loto, & auro vngarico subtilißimè contuso: ex quibus Amalgama effectũ, cũq; sale & aceto ablutũ, in vitrea vesicula collocabitur, toties aqua forti circũfusa, dũ in aquã Mercurius totus fundatur.

Aurum Vitæ

Apposito Alembico & vesica vndiq; obstructa, lento primum igni, posteà aucto, stillationem institues, vt spiritus omnes aquæ fortis expulsos esse, notare possis. Tùm in frigefacti vasis fundo reperies massam rubeam, quam in aperto loco in puluerem teres, ne ex fumo detrimentū capias. Puluerem vt correctior sit, ita parabis. In ignitam coniicies pulueris duas vncias, & cum spatula probè agitabis in fornace probatoria, continuatione laboris vt spiritus aquæ fortis omnes euanescant. Hoc secundò facies, vt secura sit pulueris in malis curandis tractatio.

Est apud me integra Medicinæ magnæ descriptio ex puris essentijs quintis miro artificio paratæ: habetq; illas centum & quinquaginta simpliciū copulatas, ea proportione, vt è cœlo inuētio delapsa videatur. Quæ quoniam vberiorem explicationem requirit, hoc loco à nobis prætermissa est.

Angelicum puluerem, apud Massam de morbo Gallico: alias Mercurij ad pestem conformatas tractationes in secretis Gesneri remedijs inuenies, cum cæteris diuersis ad hanc Luem ex vitrioli oleo, & variata aquarum vitæ distillatione Medicinis: quas cùm diligenter authores scripserint, noluimus in nostrum librum transferre.

Solent

Solent quidam recentem panem perforatum replere Aquæ vitæ sequentis, vncia vel media vel integra, & vini Cretici vncia vna: panisq́ calefacti foramen vmbilico aptare. Iubent autem vt tribus horis sudet: Quare aiunt se aliquoties effecisse vt in panem quicquid erat in ægris veneni, transumeretur.

Aqua vitæ in sequentem modum parata est. Aquâ vitæ

Recipe Cinnamom.
Galang.
Zaduar.
Caryoph.
Piperis longi,
Calam. arom.
Macis.
Cingib.
Gentianæ, omnium vnciam vnam.
Serpentariæ,
Pimpinellæ,
Tormentillæ,
Dictamni,
Sigilli Salom. omnium vnciæ dimidium.
Sperm. ceti, drachmas duas
Mumiæ, sesquidrachmam.
Theriacæ opt. vncias quatuor.

Aquæ vitæ rectiß. distillatæ lib. sex.

Tritis in puluerem ijs quæ conteri possunt, omnia exactè misceantur, & vt lento igne aqua per Alembicum sit transfusa, studendum est: quæ drachmis binis pota, sudore pellit malum.

Puluis est radicum, ad sudorem mirificè conferens. Componitur ex

Puluis vtiliss: ad sudore[m] provo[cando]:

Rad. Aristol. longæ,
Serpentar. vtriusq; vna vncia.
Tormentillæ, tribus vncijs.
Dictamni, quatuor vncijs.
Gentianæ, quinq; vncijs,

In mortario concussa linteo illigentur.

Dein cape Allij caput vnum
Cepæ vnum.

Partes ex singulis fiant viginti aut amplius, & mundentur, Adde
Croci, drachmas tres.

Bulliant in 5. q aquæ communis per horam dimidiam.

Quæ cum effluxit, ollæ ab igni remotæ imponitur superior radicum tritarum colligatio dum aqua frigescat. Tecta tamen olla erit ne respiret. Extractum linteum desiccabis in vmbra, & seruabis ad vsum.

Dabis ægro, cui partes necessariæ oleo aliquo superiore vel simili inunctæ sunt, drachmas geminas cum vna vncia sequentis liquoris.

Recipe

Recipe Mellis libram vnam.
Aceti, libram dimidiam.
Raphani,
Cepæ. vtriusq; vncias duas.

Mense Iulio & Augusto in Solaribus radijs feruefiant. Postea per Alembicum traijciantur.

Bibet, si vomat, toties, dum vomere desistat: & semel absterso sudore, ius pulli cum saccharo deglutiet. Quinq; elapsis horarum temporibus repetet drachmam vnam pulueris ex aqua fontana: cui posteà satisfactum erit confirmantibus. Aut si mitius postulent, misceant

Saluiæ,
Rutæ,
Calendulæ,
Morsus Diaboli, añ Manipulũ. vnum.
Verbenæ,
Scabiosæ, vtriusq; Manipul. dimidium.
Rad. Bardanæ, vnciam vnam.

Vino omnia macerata stillatione per Alembicum exprimant, & vtantur duabus vncijs.

Cùm iam sudoribus diffluunt, præscribe drach. duas cum semisse sequentis aquæ.

Accipiuntur, rad. angel. vnciæ duæ.
Graforæ, Gesnerus, Duronicum interpretatur, vncia vna.

Morsus

Morsus Diab.
Tormentill.
Dictamni albi,
Cærolinæ,
Gentianæ, ana drachmas sex.
Theriacæ, scrupulos quatuor.
Aquæ Veronicæ, libras tres.
Aceti, libram vnam.
Ellebori nigri, drachmæ duæ.
Nuces immat. viginti.
Contunde quæ id ferunt, & distilla.

Aqua Theriacalis laudem consecuta est, quæ habet.

Aqua theriacalis

Rutæ caprar.
Veronicæ, añ Manipul. vnum.
Rad. Althea.
Tormentill.
Angel. ana vncias quatuor.

Minutim concisa infundantur per diem naturalē, in vini maluatici libris quatuor: additaq; vetustißmæ Theriacæ sescuncia instituatur stillatio. Rusticis ob vehementiam conuenit potus ex Theriacæ.

Aquæ vitæ opt.
Succi allij, omnium vncijs tribus.
Aceti fortiß. vncias sex.
Succi Rutæ sescuncia. commistis pro potione.

Ciet vndiquaque sudorem, habetque dosin

dosin duorum ad summum cochlearium.

Tot igitur exemplorum coaceruatione puto discentibus satisfactum esse. Quæ supersunt, ea aut tam leuia sunt, vt sine vlla animi contentione inueniantur, aut doctorum hominum sermone vberrimè explicata sunt, aut doceri in publicis scriptis non debent, idq; propterea vitiosum in illis putandum est, qui de omnibus vbique disputant, aut in arcanis aperiendis modum non tenent.

DE ACCIDENTIBVS QVÆ Pestem sequuntur.

IN HIS non tantùm studiam tamquè multam operam ponemus: ne res tractemus à practicis antè tractatas, à quibus quæ dicta sunt, nos tuemur. Symptomata communia sunt, pestis cum putredine copulatæ imbecillitas virium, Nausea, Vomitus, Febris. Ventris fluxus, & obstructio, sitis, Deliriũ, Bubo. Horũ quædam pestis sunt propria: Reliqua ex putredine proficiscuntur. In infirmitate restauranda, hoc monemus, vt ijs quæ cordi familiaria sunt, misceant ægri ἀλεξιτήρια, cùm multò antè effectum sit, imbecillitatem pestilentem nulla coarctatione aut frigore depelli, neq;

neq; consistere in dissolutione vulgaris roboris: sed vnicam habere leuationem, visum abditæ & abstrusæ Medicinæ. Vomitus non rectè primùm cohibetur: posteâ verò Cydoniorum, boli Armeni, & astringentium vsu, Emplastro ex crusta panis, admotis, cucurbitulis coherceri debet. Nausea cùm reliquis, tùm maximè ceparum morsu tollitur. Mirum est quod de scordij pulueris & succi viribus affert Fallopius, desinere illis alui solutiones, qui alterutrò vtuntur: quamuis Diosocorides cum acrimonia astringere scordiũ tradat. Sitim extinguunt pilulæ ex seminibus, quatuor frigidis maioribus, & ijs quæ minora vocant, cum mucilagine Cydoniorum & Tragacantha confectæ. Aluum aperit aqua infusionis granorum sebesten confractorum, & foliorum integrorum volubilis minoris. Reliqua popularem & peruulgatam curationem admittunt. Sed de tumore copiosius differendum paulò est. Sequi igitur naturam si ad conuenientem locum decumbat, & stare oportet in eo quod ab illa iudicatum est. Sin debilitata mali magnitudine tradat se constringendam veneno, aut non satis tutò bubonem ponat, Medicus illic Antidotis, hîc autem Chirurgia quoque adiuncta, facere parabilem

debet

debet, & bono loco terminatam expulsionem. Eam ob caussam si naturæ cum morbo grauis sit luctatio, nobisq́ tumor non rectè constitutus videatur, cucurbitulis detrahendus est ad congruentem locum. Maximè autem confert, si copia eius fieri possit, ostrea viua probè tumorem ligata, quæ vi quadam allicit ad se venonosam materiam: & toties illa mutanda est, dum eo bubo sequatur quo velimus. Idem, sed parcè nimis & restrictè, Ranæ viuæ præstant. Lysimachia supra tumorem vinculis illigata, deorsum præmit venenum, & contra nititur, neq́ reditum ad eum locum sinit, in quo omnia sunt partibus præcipuis & præstantibus. Si verò aut satis longinquè tumor semotus sit, aut quomodocunq́ situs habeat, morbus vrgeat curationē, sequens est præstantißimum, quod fit ex

Lysimachia.

Olei antiquißimi, libris quinque.
Scorpionibus viuis, 120.
Aceti fortißimi, vncijs quatuor.
Bulliant vt crepent scorpiones. In colaturam conijce

Oleũ pstantiss ad Bubones

Zaduariæ,
Gentianæ,
Dictamni, añ vnciam vnam.
Theriacæ,
Mithridatij, vtriusq́ sescunciā.

Ceræ

Ceræ nouæ pro arbitrio.
Spicas allij tres.

Bulliant lento igni per diem vnum obturato vase. Oleum expressum cordi, loco buboni vicino, arterijs, vmbilico, dorsoq; inungat: vt sex horarijs temporibus dispergatur bubo: Aut si id non accidat, secunda inunctione consequatur sanitas. Aliter paratur ex olei libris geminis,

Scorpionibus quadraginta.

Aliud *Quæ duo simul quinque horis excocta in colaturam suam accipiunt Theriacã Andromachi pro arbitratu, iterumq; binis horis bulliũt. Vsurpationis idem est modus. Hirudines & vulnuscula post cucurbitulas nobis probantur.*

Reliqua ex practicorum libris notißima sunt, quæ nos piget referre. Quamobrem de ijs desistemus scribere, quibus conferti penè sunt omnes Medicorum libri.

AN IN VERBIS SIT POtentia admirabilis quæ morbos sanet.

QVEMADMODVM pestis medicamentis & Chirurgico auxilio sanaretur, & quo pacto victus ratio ægrotis nihil auxiliari posset, satis explicatum arbitramur

bitramur superioribus locis. Sequebatur vt vltimum modum curationis persequeremur, qui pertinet ad efficiendam in morbis sanitatem, in quo quæri posset, quid vtile, quid ad valetudinem consequendam inutile. Verùm hūc iam dimittimus, quoniam doceri publicè non debet. An tamen aliquis sit, operæprecium erit perscrutari. Principes Medicorum curationis partes tres fecerunt, quarum vna in diæta consistit, cæterarum altera medicamentis, altera manibus sanat. Tot illi modos curandi, non plures instituunt docere, & inducunt in animos hominum argumenta tanquàm probationes suæ opinionis. Sed nos iamdudum ab horum sententijs discessimus, & in quibusdam verbis arbitramur sanationem positam esse: quorum tractationem tanquam curandi quartum modum ad reliquos adiungimus. Ea res à veteribus sæpe deliberata multumq; agitata fuit, vt quidam cùm modum agendi non reperirent, visis tamen obsistere non possent, supersticiosos eos dicerent, qui assentirentur. Alij autem Philosophi, præsertim platonici in re ardua diuersos modos effingerent, quamuis dissentientes à vero, & abhorrentes à Philosophica integritate. Apanus celebris author ait, quemadmodum di

Apanus ptus

reptus animorum in ægris & Medico successionem valetudinis impedit, sic copulatam vtriusq; mentem confidentia quadam ægroti & impostura Medici efficere κατὰ συμβεβηκὸς *sanitatem. Quare putat verbis nihil tribuendum: Cùm totum ex fide ægri pendeat. Sed hæc nimis crasse disseruntur. Iamblychus notationem esse iudicat verbis à Dijs inscriptam, quæ nos fugiat: illis cùm sit cognita, flectat superos: Estq; hic error à verò non adeò longè semotus. Marsilium legimus in imagine caussam exquirere, quoniam verba simulacra rerum sint. Alcinous & psellus dæmonũ auxilio quod verbis tacitè significamus, arbitrantur nos consequi. Sunt qui vel oratoris Magici animam eleuari existiment vt materiæ mundanæ imperare possit: vel sermonem dicant Magicum certis influentijs illigari: Quamobrem si opus sequatur, ex cœlo, non è verbis effectum esse. Hi omnes nobis deserendi sunt: obscurè autem de obscura vera caussa loquendum est, contra omnes qui à nobis dissentiunt. Exordiemur à Domino quatuor literarum qui scalæ insidens formas &* ὀσίας *in Iacob subiectum hominem explicat, varijs medijs vsus. Scala enim est, per quam in nos illabitur, interuallis graduum distincta, quos*

magnæ

Iamblychus

Marsilius

Alcinous. psellus.

magna contentione Angeli sursum deorsumq; transcendunt. Primus itaq; inter ascendendum nobis notißimus est, & natura dicitur. Reliquis varia imponuntur nomina, & infinitarum rerum neq; modus vllus, neq; finis inueniri potest. Progrediemur tamẽ quoad possumus & tentabimus, sit ne aliqua breuis infiniti comprehensio, an de hac omnino desperare oporteat. Horizon temporis & infinitæ æternitatis: Horizon æternitatis tẽporalis: Horizon mundi supersupremi, de quo Hieremiah, Et supra Iubilæum mittet radices suas: Et Sopher Amah exponit peleg elohim Male Maijm. Si igitur aliqua est infiniti perceptio, his tribus finitoribus, vtcunq; tota scalæ quæ supra naturam est, pars terminatur, desinitq; in Ensoph, à quo vsq; ad hominem sunt quinquaginta intelligentiarum portæ. In his caussa inuestiganda est. Picus ait, qui denarium Arithmeticæ formalis naturamque primi numeri sphærici perspexerit, cognoscet quod reliquis obscuritate occultatum est, secretum quinquaginta portarum intelligentiæ, magniq; Iubilæi, & millesimæ generationis, regnumque omnium seculorum. Nos verò adiungimus, qui Picum assequitur, & latentes sequentium dictorum sensus tenet: Et nomen

men

peri^9

men meum IEHOVAH non indicaui eis: Deus meus es tu, exaltabo te, confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia: hunc non desiderare vberiorem disciplinã quid & cur verba quædam in nos agant. Per tres igitur finitores summos qui quinquaginta portas complectuntur, vis admirabilis in voces emanat, omnipotentiæ diuinæ radius singularis, virtus ποιητική *in nos ab Angelis administris deducta. Hæc fateor nemo intelligit, qui triginta duas nobis à maioribus propositas semitas non accuratè animo comprehendit, aut in Cabala non est versatus. Illis tamen est satisfactum qui bonum studium illustri scientiæ nauârunt: cum reliquis paulò clarius agemus. Quod in quaq; re primùm est, hoc consequentibus & posteris omnibus agendi potentia anteire debet. Natura in voce primùm Magiam exercuit. Magia igitur in verbis præcipuè posita est. Neq; absurdè à Rabino constitutum fuit, collatione multarum rationum. antequam mundus fabricaretur, DEVM fuisse illiusq; nomen. Si autem verba rerum sunt congruentes consignationes, eadem erit huius rei ad hoc nomen, quæ alterius ad alterum, ratio, & ex Euclide, eadem rei ad rem, quæ ad verbum verbi fuerat. Infinitæ igitur substantiæ*

Cabala.

Magia

nomen

nomen conueniet infinitum. Nulla verò planta est, in qua non poßimus finitam, & veluti circunscriptam Dei similitudinem contueri. Si quis nunc percontetur, cur in agendo herbam nomini anteponant, finitum infinito, assensum firmè sustinere non possunt, vetusqúe sententia tota elabitur. Sed eo se ad repugnandum moueri inquiunt, quod & quantitates sint verba, quas ab actione Philosophi semouent: & extra speciem morborum versentur, cùm tamen sua specie quiduis in agendo circunscribi soleat. Relicto iam illo quod Philosophi quidam aiunt, multi negant, quantitatibus vim ingeneratam aut potentiam nullam esse: Repugnant enim Pythagorici & Theologi quidam: hoc constituendum est, qui non aliter se posse verborum actionem frangere arbitrantur, hos neq; quid loquãtur, neq; de quo disputemus, quicquam intelligere. Ab Ensoph dicebamus, per tres finitores descendere caussam: cùm verò nulla sit in excelso loco quantitatis ratio, ecquis adeò insipiens est, vt verba tanquã ποσότητας credat agendo excellere? Quod si fixum apud illos & stabilitum esset, nos hanc cabalisticã literam malè faceremus, neq; terminaretur diuina perceptio Horizonte æternitatis temporalis. Itaq; illos im-

Ensoph

peritos nemo de sua opinione fortaßis depellet: Non enim in hunc laborem vt omnibus persuadeat, debet se sapiens committere: Nos autem ea magna luce circunfusa possumus agnoscere, & animos in ea intendimus, quæ neminem decipiunt. Neq; id obsistit, quòd illi putant, si susurris constet sanatio, vetulas optimè mederi, & artem Medicam non multum negocij continere. Arbor raritatis cabala est & disciplina grauißima, quam totam solus Meßiah percepit. Si quid vetulæ sonis inanibus imitantur, id nos non possumus tueri, quod illæ ex his studijs quæ nos sequimur, nō sunt consecutæ: sed vel casu vel dæmonis auxilio efficiunt, quædam pauca ex vera Magia arripiunt. Quid igitur amplius? Tacendum est, ne deuoremur ab Azazele per iudicij proprietatem. Deo enim in his silentium, Laus, vt Psalmographus canit. Mergat se quæcunque anima potest in pateram quam Deus mente impleuit, & credat se ad eum redituram, qui demisit, vt finem noscat cuius gratia nata sit. Quamobrem illud nobis stabilitum sit, verbis quibusdam perspicuas agendi vires inesse: relinqui autem disciplinam solam hanc, quæ nomina tractat, dignam sacerdotibus viris, dignam Philosophis, dignam superis & regibus.

PER-

PERORATIO.

DE peste locuti sumus & curatione ad hanc accommodata, integramq; nobis fecimus ex verò iudicandi potestatem, & id potißimum cauimus ne obsecuti amico vel præceptori, quæ ab his præscripta sunt, & quasi imperata, defenderemus contra veritatem. Eò autem breuius multa diximus, quo copiosius omnia in nostris paradoxis explicabuntur: & quod Typographus nimium festinaret. Cùm enim librum impressori promitterem, nondum initium illius constitueram. Itaq; quæ ex medijs occupationibus in chartas effuderam, ille gradatim auferebat: quod cùm diceret Typographicas rationes non aliter ferre, sinebam vt sui laboris modum teneret. Hoc autem liberius feci, quò citius nostra paradoxa, quæ easdem disputationes tractant, in apertum referentur, quibus constat horum & admirabilium aliorum quorundam dilucida explanatio.

PRIMVM LEGE, DEHINC iudica, neq; sine vt mentem affectus anteuertant.



ERRATA QVÆDAM
sic corriges.

17. *a. lin.* 10. *lege illi*
21. *b. lin.* 25. *lege, fœminas, com pactiores viros*
23. *b. lin.* 26. *lege, vim*
31. *b. lin.* 21. *lege, arcana*
32. *b. lin.* 14. *lege, mortem*
42. *b. lin.* 14. *lege, cum*
43. *a. lin.* 2. *lege, confluxus*
52. *b. lin.* 1. *pro faciam, lege, taceam*
60. *b. lin.* 8. *lege, ignitam pateram*
64. *a. lin.* 7. *lege, prope*

EXPRESSVM FRANCOFVRti ad Mœnum, per Martinum Lechlerum, impensis Hieronymi Feyrabend. Anno
M. D. LXVIII.